S760.d.67.1

JACOBI KIRKWODI
GRAMMATICA DELINEATA,

Secundum Sententiam *Plurium*, ſicuti promiſſum eſt in Epiſtola *D. D. Cuminii.*

~~XVI. 26. 60~~

EDITIO TERTIA.

LONDINI,

Typis *G. Godbid*; Proſtant venales *Edinburgi* in *Scotia*, apud *H. Leſlie* Bibliopolam ad Inſigne *Bibliorum* è regione Vici *Dominicorum*, vulgò **Black-Friers Wynd.** 1677.

02...721

PRIMA PARS
GRAMMATICÆ.

De *NOMINUM* Generibus.

Regulæ Generales, ſeu Significationum.

NOmina cuncta Marem ſignantia, Maſcula ſunto:
Rex, Carolus, Gabriel, Phœbus, Leo, Frater, & [1] *Auſter.*

1 Venti Maſculini ſunt, quia ſub forma virili ab Ethnicis pingebantur.

Tu, quæ Fœmellam ſignant, Muliebria ponas:
Ut, *Regina, Soror, Puella, Catharina, Læna.*

Commune eſt illud, quod Sexum ſignat utrumque:
Ut, *Convīva, Parens,* [1] *Paſſer, Dama, Hoſtis,* & *Exul.*

Excipienda tibi ſunt talia Nomina, *Scortum,*
*Mancipium*que, Genus ſemper poſcentia Neutrum.

1 *Paſſer* fœmininum non eſt, niſi fœmellam pro certo deſignet; de quo poſtea.

[1] Arboris eſt Nomen Muliebre: Virilia ſunto,
In [2] *Steri* quæ ſunt: Sed *Acer, Thus, Robur* habebunt
Neutra;

Neutra; *Siler*, *ſuber*que ſolent adjungier: & quod *Um* finale dabit, [a] *Buxum* pro teſte repones.

Sint Dubii *Libanus*, *pinus*, *rubus*, atque *cupreſſus*.

1 Hæc *Pomus*, *Pyrus*. 2 Hic *Oleaſter*, *Pinaſter*,

Sit Neutri Generis, quod non variatur; ut *Alpha*.

Regulæ Speciales, ſeu Terminationum.

A.

HÆc dat *A*, quod [1] primæ; quod [2] ternæ eſt, dicito neu-
Maſculei generis tamen eſto [3] *Cometa*, *planeta*. (trum.

Hoc *Paſcha* in prima, ternave reflectere poſſis.

1 Hæc *Penna pennæ*. 2 Hoc *Thema thematis*. 3. *Cometa* & *Planeta* ſervant genus quod habent apud Græcos, quamvis terminatio mutetur; ſc. *Cometes*, *planetes*.

E.

Hæc petit *E* [1] Primæ; Neutrum depoſcit *E* [2] Ternæ.

1 Hæc *Grammatice*. 2 Hoc *Sedile*.

O.

[1] *O* ſit maſculeum: tamen hæc [2] verbale requirit;
Dictio teſtetur: ſed [3] *Pugio* maſculus eſto.
Fœmineoque dabis [4] *DO* [5] *GO*: ſed flecte virile
Uda, *Ligo*, *Tendo*, *Cudo*, cum *Margine*, *Cardo*,
Harpago, queis jungas *Ordo*: ſed rarius optant
Fœmineum *Cardo*, *Margo*: *Caro* ſemper habebit.

1 Hic *Sermo*. 2 Nonnulla ſunt ad hanc Regulam pertinentia, quæ neſcio, an ab illo Verbo deducas; cujuſmodi ſunt *Dido*, *Legio*, *Talio*,

Talio, Portio, &c. At hic *Duernio, Ternio, Quaternio*, & similia. Quidam hæc Adjectiva ſtatuunt, & ſupprimi volunt *Numerus*. It. hic *Unio* pro *Gemma*; at hæc *Unio* pro *ſocietate* aut *conjunctione rerum*. 3 *Pugio* à *Pungo*: verum genuinum verbale eſt *Punctio*. 4 Hæc *Formido*. 5 Hæc *Caligo*.

U. C. M. T. L.

[1] U, [2] *C*, neutra loco, velut [3] *M*, [4] *T*, [5] *L*. Maſculus eſto *Mugil*; huic jungas *Scl* & *Sal*; quod tamen olim Antiqui numero neutrum poſuere priore.

1 Hoc *Genu*. 2 Hoc *Lac*, 3 Hoc *Templum*. 4 Hoc *Caput*. 5 Hoc *Mel*.

N.

[1] *N*. Petit hic: generi finita in [2] *MEN* dato neutro; Cuncta [3] ſecundæ etiam, cum *Gluten* & *Ingnen* & *Unguen*, Fœmineo *Sindon*, *Icon*, variare jubemus.

1 Hic *Pecten, Canon*, &c. 2 Hoc *Carmen*. 3 Hoc *Ilion, Ilii*.

AR & *UR*.

[1] *AR* petit hoc, velut [2] *UR*: ſed *Furfur* flecte virile.

1 Hoc *Calcar*. 2 Hoc *Guttur*.

ER.

[1] *ER* petit hic: melius flectas *Linter* muliebre, Hoc *Iter* & *Tuber*, *Spinter*, *Ver*, junge *Cadaver*, *Verber* & *Uber*: erit *Cucumer* mas; cætera terræ Semina neutra loca, teſtem tibi pone *Papaver*.

1 Hic *Liber*.

OR.

Hic dat [1] *OR*: hæc *Arbor*, neutrum *Cor*, *Marmor* & *Æquor*.

1 Hic *Amor*.

A S.

[1] *AS* petit hæc: neutrum [2] *Vas vasis:* maſcula ſunto,
Quæ patrio [3] *Antis* habent; quibus *As* conjungere poſſis:
Et quæ Prima dabit, veluti pro teſte *Tiaras.*

1 Hæc *Pietas.* 2 *Vas vadis* communis eſt generis. 3 Hic *Adamas adamantis.*

E S.

[1] *ES* ſit fœmineum: dabit hic *Poples, Tudes, Ames,*
[2] *Bes, Gurges, Fomes, Palmes* cum *Limite, Stipes,*
Et *Trames, Termes, Circes* cum *Ceſpite, Coles,*
Pes, Paries, Magnes: ſic [3] cætera, quæ Genitivo
Dant *Etis,* veluti *Magnetis.* Plurima neutra,
Hippomanes, Cacoethes & *Æs*; nam Regula nota eſt.
[4] Græca ſuum retinent genus uſurpata latinè.
Hic aut hæc *Ales, Vepreſque,* [5] *Dieſque* requirunt.

1 Hæc *Nubes.* 2 Sæpius *Beſſis* in Nominativo. 3 *Lebes lebetis.* 4 Hic *Sories.* 5 De *Die* certa regula tradi nequit; in plurali raro fœmininum: *Meridies* ſemper Maſculinum.

I S.

[1] *IS* dabo fœmineis: ſunt maſcula *Piſcis* & *Axis,*
Et *Lapis* & *Collis, Vectis* cum *Sanguine, Faſcis,*
Et *Fuſtis, Menſis, Poſtis,* ſic *Unguis, Aqualis,*
Et [2] *Caſſis* caſſis formans, cum *Pollis* & *Enſis,*
Caulis, cum *Callis,* pro teſticulo quoque *Teſtis,*
Sic *Orbis, Vomis, Follis, Torriſque, Scrobiſque,*
Et *Cucumis,* nec non *Aſſis,* compoſtaque ab *Aſſe.*
In *Nis* finitum, ceu *Panis,* pone virile.
Fœminei raro, *Finis, Funis, Cinis, Amnis,*
Et *Cluni, Torquis, Pulvis,* cum *Sente Canalis.*

1 Hæc

1 Hæc *Navis*. 2 Hic *Cassis*, in genitivo *Cassis*, i. e. *Rete*. Hæc *Cassis cassidis*, i. e. *Galea*. 3 Hic *Octussis*, *Decussis*.

O S.

[1] *OS* est masculeum: *Cos*, *Dos*, muliebria, & *Arbos*.
Hoc *Epos* & *Chaos*, & *Melos*, ac *Os oris* & *ossis*.
Plurima [2] Græca legas (ea in *VS* posuere Latini,)
Partim fœminei generis, partimque virilis:
Nempe suum retinent genus usurpata latinè.

1 Hic *Honos*. 2 Hæc *Synodos* vel *Synodus*: hic *Epodos* vel *Epodus*.

U S.

Secundæ & quartæ Declinationis.

VS dato masculeo, si [1] quartæ est, sive [2] secundæ.
Fœmineum *Domus* est, & *Vannus*, *Humus*, [3] *Colus*, *Alvus*,
Et *Tribus*, atque *Manus*, ceu *Porticus*, ac [4] *Acus*, *Idus*.
Carbasus & *Grossus* muliebria sæpe leguntur;
Mascula perraro sed *hic* aut *hæc* flecte *Phaselus*.
Hic *Ficus fici* pro morbo sæpius optat:
Hæc *Ficus fici*, vel *ficûs* fructus & arbor.
Hic aut hæc *Specus*, atque *Penus* jungas, *Atomus*que:
Hic aut hoc *Vulgus*: verum hoc *Virus*, *Pelagus*que.

1 Hic *Fructus*. 2 Hic *Ventus*. 3 In masculino apud *Catul*. reperias. 4 Hic *Acus aci*, nomen piscis; hæc *Acus acûs*, instrumentum sartorium; hoc *Acer aceris*, palea.

U S.

Tertiæ Declinationis.

VS [1] ternæ neutrum: tamen hæc *Virtus*que, *Salus*que,
Atque *Pecus* [2] *pecudis*, *Subscus* quibus additur *Incus*;
Junge *Palus*, & quæ [3] *Servus*, [4] *Juvenis*que, [5] *Senex*que

Nomina formabunt: verum tibi maſcula ſunto,
Quæ [6] *PUS* donabit. *Laus, Fraus,* muliebria flectas.

1. Hoc *Tempus.* 2 Hoc *Pecus pecoris.* 3. Hæc *Servitus.* 4 Hæc *Juventus.* 5 Hæc *Seneſtus.* 6 Hic *Tripus.*

S.

Præcedente Conſonante.

[1] *S* eſt fœminei generis, ſi conſona præſit.
Maſcula ſunt *Pons, fons, torrens, mons denſque, chalybſque,*
Atque *rudens, hydrops*; ſed [2] *ſtirps,* dum ſignificabit
Truncum, ſit dubii; cui *ſcrobs,* & *adeps* bene jungas.
Maſcula ſnnt etiam, quæ derivantur ab [3] *Aſſe.*

1 Hæc *Trabs, mens, ſtips, pars.* 2 Hæc *Stirps,* pro Familiæ aut Gentis origine, hic aut hæc pro Planta. 3 Hic *Quadrans, ſextans.*

X.

[1] Hæc petit *X.* Polyſyllaba in [2] *AX* & in [3] *EX* maribus do.
Dic tamen hæc *Fornax, ſmilax*; his junge *ſupellex.*
Adde etiam *carex, tomex,* cum *forfice, vibex,*
Maſcula ſunt *fornix, phœnix,* quibus addito *ſpadix,*
Et *maſtix,* & *oryx,* & quod dabit [4] *uncia* nomen:
Grex & *Eryx, Coccyx, Volvox* que, *Calix* que, *Calyx* que.
Hic aut hæc *Cortex,* & *Onyx,* cum *pumice, varix.*
Addito *Obex, tradux*: ſunt qui *rumex* quoque jungunt.

1 Hæc *Pax. Lex, Fix.* 2 Hic *Thorax.* 3. Hic *Apex.* 4 Hic *Quincunx, Septunx.*

De Generibus Oppidorum, Regionum, Inſularum, Fluviorum, Montium, &c.

Hæc omnia in eodem ponuntur genere, cujus eſt ipſorum terminatio; ut Nomen Oppidi, hoc *Londinum:* Regionis; hæc *Gallia:* Inſulæ; hæc *Britannia:* Fluvii; hæc *Garumna:* Montis; hæc

Ætna,

Ætna. Interdum tamen, præcipuè apud Poetas, videntur ejus eſſe generis, cujus eſt vox generalis, quæ ſupprimitur; ut, ſi dicas, *Londinum eſt pulchra*; ſc. *Urbs*. *Ægyptus eſt fertiliſſima*; ſc. *Regio*, vel *Terra*. Hinc *Tibul. Magnúſque Garumna*; ſc. *Fluvius*. It. apud *Ovid. E ſummo Oſſa*, ſc. *Monte*: & Virg. *Centaurus magna*, ſc. *Navis*. Ter. *Tranſtulit in ſuam Eunuchum*, ſc. *Comœdiam*. Atque hinc *Hadria*, i. e, *Mare Hadriaticum*, in Maſculino legitur, quia ſupprimitur *Sinus*. It. *Laver cocta*, Plin. ſc. *Herba*, &c.

De Genere Nominum ſingulari numero carentium.

Hæc datas regulas ſequuntur; ut, hi *Philippi Philipporum*; hæ *Nuptiæ nuptiarum*; hæc *Arma armorum*: quia, ſi ſingularem haberent, eſſet hic *Philippus*, hæc *Nuptia*, hoc *Armum*.

De diſcrimine Generis Dubii & Communis

Nomen Dubii Generis eſt, quod in vario genere pro tuo arbitrio locare poſſis; ut, hic aut hoc *Vulgus*: Nomen Communis Generis in hoc aut illo genere ponendum eſt ſecundum diverſam vocis ſignificationem: ut, hic *Parens*, pro *Patre*; hæc *Parens*, pro *Matre*: hic *Dama*, pro *Mare*; hæc *Dama*, pro *Fœmella*. Quod ſi certum ſexum non intelligas, in eo plerumque ponitur genere, cujus eſt vocis terminatio; ut, hæc *Aquila*; quia finita in *A* primæ declinationis, fœminina ſunt: hic *Paſſer*; quia finita in *ER*, maſculina ſunt. Quod ſi vocis terminatio ſit neutri; ut, *Turtur*, *Vultur*, in maſculino fere ſemper reperies.

Diligenter notandum multas eſſe voces communis generis quoad ſignificationem, non autem quoad conſtructionem; e. g. *Homo*, & *Fur*; *Virgo*, & *Aquila*; utrumque ſexum denotant: neſcio tamen, an reperiatur hujuſmodi quicquam, *mala Homo*, *cauta Fur*: Et contra, *caſtus Virgo*, *magnus Aquila*. Scias igitur haſce voces, *Homo*, *Latro*, *Vates*, *Miles*, *Agricola*, *Cuſtos*, *Dux*, *Elephas*, *Bubo*, *Milvus*, *Mus*, *Grus*, *Lepus*, *Bos*, *Porcus*, *Anguis*; licet utrumque denotent ſexum, raro tamen in fœminino reperiri. Et contra, *Balæna*, *Aquila*, *Vulpes*, *Talpa*, *Dama*, *Muſca*, *Hirundo*, *Teſtudo*, *Cornix*, *Ovis*, *Perdix*, raro in maſculino videas. Quædam in *TOR* legas in utroque genere; ut. *Autor*, *Auditor*, *Pictor*, *Scriptor*, quia ſc. terminatio in *IX* in uſu non eſt: non enim utimur *Autrix*, *Auditrix*;

ditrix: at contra, *Victor*, *Ultor*, *Genitor*, masculina tantum sunt, quia legimus *Victrix*, *ultrix*, *Genitrix*; idque aliquando in neutro genere; e. g. *Victricia arma*.

Ad discernendum sexum addimus interdum hasce voculas, *Mas* & *Fœmina*; ut, *Mas Aquila*, *Fœmina Piscis*.

De Generibus Adjectivorum.

Ajectiva sunt omnis generis; hic *Bonus*, hæc *bona*, hoc *bonum*, primæ & secundæ Declinationis: hic, hæc, hoc *Felix*; hic & hæc *Mollis*, & hoc *Molle*; hic *Saluber*, hæc *Salubris*, hoc *Salubre*, tertiæ.

Regulæ generales omnium Declinationum.

[1] IN neutris primus, quartus, quintus similes sunt:
Queis in *A* pluralis semper cum flectimus, exit.

1 In Nominativo, Accusativo, Vocativo singularibus *Templum*, in pluralibus *Templa*.

Vocativus omnium Declinationum.

[1] Est primo quintus similis: Sed Græcus *S* aufert
Sæpe; velut, *Thoma*, *Theseu*, *Panthu*, *Pari*, *Palla*.
Cum [2] Proprium dat *IUS*, demto *US*, fit in *I* tibi quintus:
Filius addatur; *Deus* O *Deus*; & *Meus* O *Mi*.
[3] *US* per *E* mutabis bene cætera cuncta secundæ.

1 *Liber* in Vocativo *Liber*, &c. 2 *Virgilius Virgili*; *Terentius Terenti*. 3 *Ventus Vente*.

Dativus & Ablativus plurales.

[1] Pluralem sextum similem formato Dativo.

1 In Dativo & Ablativo Plurali *Pennis*, &c.

PRIMA

PRIMA DECLINATIO.

QUatuor exoptat fines ſibi prima: Latinus
Poſcit *A*; ſed reliquos *AS*, *ES*, *E* Græcus habebit.

1 Prima Declinatio habet quatuor terminationes, unicam Latinam, ſc. *A*, ut, *Penna*; & tres Græcas, *AS*, *ES*, *E*; ut. *Æneas*, *Anchiſes*, *Circe*. Reperitur etiam Hebraica terminatio, ſc. *AM*; ut, *Adam Adæ*; ſed uſitatius in ſecunda, *Adamus Adami*.

Genitivus & Dativus Singulares.

1 *Æ* Genitivus habet, cui caſum junge Dativum.
Si tamen 2 *E* recto fuerit, Genitivus in *ES* fit.
3 *AS* etiam interdum, ſed Græco more, videbis.

1 *Pennæ* in Genitivo & Dativo. 2 *Circe Circes*. 3 Finita in *DA*, *RA*, *THA*, & *A* purum, habent interdum *AS* in Genitivo; ut, *Læda Lædas*, *Terra Terras*, *Martha Marthas*, *Familia Familias*.

Accuſativus ſingularis.

1 *AM* faciet quartus: finita per 2 *AS* vel 3 *A* Græca:
AN quoque formabunt: ſed in *E* ſi deſinat, aut 4 *ES*;
EN tibi ſemper erit; ſic *Circe* flectito *Circen*.

1 *Pennam*. 2 *Æneas Æneam* vel *Ænean*. 3. *Maia Maiam* vel *Maian*. 4 *Anchiſes Anchiſen*.

Ablativus ſingularis.

1 *A* Sextus donat; tamen 2 *ES* ac 3 *E* retinent *E*.

1 *Pennâ*. 2. *Anchiſes Anchiſe*. 3 *Circe Circe*.

Nominativus & Genitivus plurales.

Primus pluralis fit in 1 *Æ*: Genitivus in 2 *ARUM*.

1 *Pennæ*. 2 *Pennarum*.

Dativus

Dativus pluralis.

Tertius[1] *IS* poscit; tamen[2] *ABUS* plurima donant;
Filia, Mula, Dua, Liberta, Equa, Nata, Dea, Amba.

1 *Pennis.* 2 *Filiabus*, &c.

Accusativus pluralis,

[1] Accusativus pluralis semper in *AS* fit.

1 *Pennas.*

SECUNDA DECLINATIO.

[1] OCto secunda tenet fines: tibi quinque Latini (possis
Sunt *ER, IR, UR*q; & *US UM*: quibus apte jungere
EUS, OS, ON è Græcis; *OS* & *ON* per *US, UM* varianda,

1 Secunda Declinatio habet octo terminationes; quinque Latinas, *ER, IR, UR, US, UM*; ut, *Liber, Vir, Satur, Ventus, Templum*; & tres Græcas, *EUS, OS, ON*; ut, *Orpheus, Synodos, Ilion.*

Genitivus singularis.

I Patrius servat, sic *venti Ventus* habebit,
Atque *Liber libri* recto[1] parisyllabus ipsi.

1 Genitivus tot habet Syllabas quot Nominativus, ut in exemplis videre est.

Ast[1] *IR* &[2] *UR* crescunt; velut *Exter, aduiter, iber*que,
Presbyter, & *Tener*, atque *Miser, gibber*que, *lacer*que,
Et *Socer*, atque *Gener, puer*; orta[3] *Gero*,[4] *fero*,[5] *liber*
Mobile vel Bacchus; sic *Prosper, dexter*, & *asper*.
At *Dexter dextri* contractum sæpe videbis.

1 *Vir viri.* 2 *Satur saturi.* 3 *Laniger lanigeri.* 4 *Lucifer luciferi.* 5 *Liber* Adjectivum, vel pro Baccho, Vini inventore format *Liberi*; at pro Codice, aut Cortice, *Libri.*

Unus,

Unus, uter, neuter, cum *solus,* & *ullus,* & *alter.*
Atque *alius, totus,* formant per [1] *IUS* Genitivum,
Atque per [2] *I* Ternum; sed protrahe semper *alius.*
[3] Interdum videas normas servare priores.

1 *Unius, utrius, solius,* &c. 2 *Uni, utri, soli,* idque in omni genere. 3 Hæc nomina aliquando regulariter formantur; *Nulli consilii sum,* Ter. & *Neuter* fere semper in præceptis Grammaticis secundum Regulam generalem reperias: e. g. *Templum est neutri generis,* usitatius est, quam *neutrius generis.*

[1] *EUS* dat *EOS*: sed [2] *EUS* dat *ei*; quod in *ei* coit aut *i.*
Hoc *Maro* monstrabit nobis, *Ajacis Oilei:*
Ac alibi canit, *Exuvias indutus* [3] *Achilli.*
Nomina in *Os* longum dant *O*; sit testis [4] *Apollo.*

1 *Orpheus Orpheos.* 2 *Orphĕus* (tribus constans syllabis) *Orphei:* hoc secundæ, illud proprie tertiæ est declinationis. 3 Ab *Achilleus,* in Genitivo *Achillei,* hinc contracte *Achilli.* 4 Genitivus Atticus.

Dativus & Ablativus singulares.

Tertius & sextus formantur in [1] *O* tibi casus.
[2] *Ei* quoque dat ternus Græcè, si rectus in *Eus* fit.

1 *Vento,* 2 *Orpheæ Orphei.*

Accusativus singularis.

[1] *UM* poscit quartus: quandoque per [2] *ON* loco Græci.
EUS [3] *EA* vult: ab [4] *Eus* fit *Eum*; rarissimè *Eon* fit,
Eus etiam *Ea* facit longum, velut *Ilionea.*
O quoque comperies: sic *Athos* flectitur *Atho.*

1 *Ventum.* 2 *Synodos Synodon.* 3 *Orpheus Orphea.* 4 *Orphĕus Orphĕum.*

Nominativus, Genitivus, & Dativus plurales,

Primus pluralis fit in [1] *I*: Genitivus in [2] *Orum.*
[3] *On* quoque Græcus habet: Casus tibi tertius [4] *Is* dat.

1 *Venti.*

1 *Venti.* 2 *Ventorum.* 3 *Cimmerii Cimmeriôn.* 4 *Venis.*

Accusativus pluralis.

Plurali numero fit quartus in [1] *Os* tibi casus.
Eus dat *Eas*, veluti, [2] *Quis fidos Theseas odit.*
[3] *Ambo, Duo* neutri generis sunt masculeique:
[4] *O* mas interdum videas: vult tertius [5] *Obus.*

1 *Ventos.* 2 *Virgilii* sunt verba. 3 *Ambo ambæ ambo. Duo duæ duo.* 4 apud Poetas legas *Ambo* pro *Ambos.* 5 *Ambobus, Duobus.*

TERTIA DECLINATIO.

TErtia dat [1] varios fines: [2] *Is* ritè Latinum
Formabis patrium; sed [3] *Os* [4] *Us* sibi Græca requirunt.

1 Una & septuaginta recensentur terminationes tertiæ declinationis; sed undecim tantum literæ terminales; ut, *Thema, Sedile, Caro, Lac, David, Mel, Carmen, Pater, Lapis, Caput, Lux.* 2 *Sermo sermonis; Lapis lapidis.* 3 *Phyllis Phyllidos.* 4 *Echo Echus.*

A & E.

Semper [1] *A* mittit *Atis*: vertes [2] *E* per *Is* Genitivo.

1 *Thema thematis.* 2 *Sedile sedilis.*

O.

Addito *Nis* post [1] *O*: dat *Inis* muliebre [2] *Do*, [3] *Goque*:
Sic *Ordo, Margo*, cum *Cardine, Apollo, Cupido,*
Turbo, Homo, ceu *Nemo*: tamen *Unedo* postulat *Onis.*
Enis habent [4] *Anio*, [5] *Nerio*que: facit *Caro carnis.*
Græca velut [6] *Dido* muliebria sic modo flectas,
Us Genitivus habet, reliqui dant *O* bene casus.
Attamen hæc eadem poteris variare per [7] *Onis.*

1 *Aquilo aquilonis.* 2 Hæc *Formido formidinis.* 3 Hæc *Virgo virginis.* 4 *Anio anienis* ab *Anien.* 5 Olim etiam *Nerien.* 6 *Dido didus*, in reliquis casibus *Dido.* 7 Dic etiam *Dido, didonis, didoni*, &c.

T.

T.

Moly facit patrium per *Tos*: ſic [1] talia profer.

1 *Miſy miſſos.*

C & D.

Lac tibi formabit *lactis*; *bogudis Bogud* optat.
David davidis patrio, vel *davidis* effer.

1 *Davidis* penultimâ ancipite.

L.

Additur *Is* poſt [1] *L*: ſed *Lis* jungunt ſibi *Mel*, *Fel*.

1 *Animal animalis.*

N.

Additur *Is* poſt [1] *N*: tamen [2] *On* quandoque dat *Ontis*.
[3] *En* neutrum dat *Inis*; velut hæc quoq; maſcula *Pecten*,
A *Cano* compoſitum; ut, *Tubicen*, *Flamen*que Sacerdos.

1 *Canon canonis.* 2 *Phæton phætontis.* 3 *Flumen fluminis.*

R.

[1] *R* capit *Is* patrio: *Far farris* poſtulat: *Hepar*
Hepatis: ac *Volucer volucris*: ſic format & *Acer*,
Ac *Alacer*: *Celeber* per *Bris* formato; *Salubre*
Sic vult, ac *Imber* cum natis, teſte *November*.
In *Ter* quæ ſunt, per *Tris* converte Latina;
Ut, *Frater fratris*: ſic *Mater* cum *Patre*, *Linter*.
Ex [2] *Itiner Tineris* dat *Iter*: *Jovis* optat habere
Jupiter, ac *lateris later*; & *Cor* flectito *cordis*.
Donat *Oris Fecur*, atque *Femur*, ſic *Robur*, *Eburque*.

1 *Guttur gutturis.* 2 *Iter itineris* ab *Itiner.*

A S.

[1] *AS Atis* format: *Mas* vult *maris*: *As* dabit *assis*.
Hoc *Vas vasis* habet: *vadus* hic *Vas*: *Antis* habere
[2] Masçula Græca volunt: per *Adis* [3] muliebria flectas.
Hiſce *Ceras* jungas, & quæ [4] communia noris.

1 *Pietas pietatis.* 2 *Gigas gigantis.* 3 *Pallas palladis.* 4 Hic aut hæc *Arcas arcadis.*

E S.

[1] *ES* mutabis in *Is*: Græcus dat multa per [2] *Etis*:
Junge *Quies*, *Locuples*, *Manſues*. Per [3] *Etis Teges* exit;
Et *Seges*, *Interpres*, *Præpes*, *Parieſque*, *Abieſque*,
Indiges, atque *Aries*, *Perpes*, *Teres*, ac *Hebes* addo.
Cætera [4] maſculei, aut generis communis; ut *Heſpes*,
Dant *Itis* in Patrio, niſi normam rite reſervant;
Ut, *Vérres verris*, *Vates vatis*: per *Itiſque*
Flectendum *Dives*, *ſoſpeſque*, *ſuperſtes* & *ales*:
[5] Quæ Adjectiva vocant, ſaltem numero anteriore.
Pes dat *Edis*; *Præſes* dat *Idis*, quod & omnia [6] nata
A *Sedeo* poſcunt. *Hæres*, *Merceſque* dat *Edis*.
Æs aris, *Præs prædis* habet, *Cereriſque Ceres* do.
[7] *Pubes*, ut *puber*, per *Eris*: *Bespeſſis* habeto.

1 *Nubes nubis.* 2 *Lebes lebetis* penultimâ longâ. 3 *ETIS* penultimâ brevi; ut, *Tegetis.* 4 *Limes limitis.* 5 *Dives*, *Soſpes*, *Superſtes*, & *Ales* in ſingulari Adjectiva, in plurali Subſtantiva habentur: non enim leguntur in neutro plurali. 6 *Obſes obſidis.* 7 *Pubes pubetis* à *Puber.*

I S.

[1] *IS* non mutabo: dat *Idis Cuſpiſque Lapiſque*;
Et [2] *Caſſis* galeam ſignans, & plurima [3] Græca,

Nonnulla

Nonnulla interdum per [4] *Eos*, per *Iosve* leguntur.
Inis habent quædam, quia rectus in *In* quoque finit;
Ut, [5] *Delphis*. *Simois* legitur variata per *Entis*.
Is mutant in *Eris*, *Pulvis*, *Cucumisque*, *Cinisque*,
Et *Vomis*; quia in [6] *Er* quondam posuere vetusti.
Pollis, *Sanguis*, *Inis*; quia *Pollen*, *Sanguen* habebant.
Dis, *Lis*, dant *Itis* cum *Samnis*, junge *Quiritem*.
Glis format *gliris*; *Semis semissis* habebit.
Sola *Charis charitis* correptum dat Genitivo.

1 *Navis* in Genitivo *navis*. 2 *Cassis*, i. e. Galea, *cassidis*: at pro Reti format Genitivum Nominativo similem. 3 *Paris paridis*; *Tyrannis tyrannidis*, &c. 4 *Hæresis hæreseos* vel *hæreseos*. 5 *Delphis* vel *Delphin*. 6 quia olim *Pulver*, *Ciner*, *Cucumer*, *Vomer*.

OS.

[1] *Os Otis* format, *Flos*, *glos*, *mos*, *ros* facit *Oris*.
[2] *Arboris* ex *Arbos*; & *Honos* tibi format [3] *Honoris*.
Plura his adjungi possent; sed Regula nota est,
Flectere si cupias, [4] varios cognoscito fines.
Os oris loquitur, sed *Os Ossis* roditur ore.
Bos flectas *bovis*; & *Custos custodis* habeto.
[5] *Thos*, *minos*, *heros*, & *Tros* formantur in *Ois*.

1 *Cos cotis*. 2 ex *Arbor*. 3 ab *Honor*. 4 jam vidimus *Sanguis* formare *sanguinis* a *sanguen*; *Pulvis pulveris* a *pulver*, &c. 5 *Thois*, *Minois*, &c.

US.

Us breviabit [1] *Oris*; sed longum *Doctius* optat
Oris: huic jungas tu, quæ tu [2] conformia nôris.

1 *Corpus corporis*, penultimâ brevi. 2 *Melius melioris*; *Pejus pejoris*, &c. penultimâ longâ.

Dant *Eris Hulcus*, [1] *Acus*, *Vellus*, *Venus*, & *Gemis*, atque
Viscus, *Olus*, *Fœdus*, *Scelus*, & cum *Pondere*, *Vulnus*,

Munus, Onus, Sidus, Latus, ac *Opus*, & *Vetus* adde;
Et *Funus, Rudus, Glomus:* olim ſic quoque *Pignus*,
Sic habuit *Fœnus*; per *Oris* nunc flectere oportet.

1 Vide regulam de genere.

Vris habet *Tellus*, veluti[1] monoſyllaba; ſed *Grus*,
Suſque Vis: Intercus dat *utis: liguris Ligus* optat.
Ortum à *Pus* dat *Odis*; pro teſte *Tripus tripodis* vult.
Vdis dant longum *ſubſcus, incuſque, paluſque*:
Sed *Pecus* hæc *pecudis*; *Pecus* hoc *pecoris* breve format.
Extendunt *Utis* ſemper *Virtuſque, ſaluſque*,
Quæque [2]*ſenex*, [3]*juveniſque*, & [4]*ſervus* nomina donant.
Laus laudis, Fraus fraudis habet. Loca [5] Græca per *Untis*.

1 *Mus muris*; *Jus juris*, &c. 2 *Senectus ſenectutis*. 3 *Juventus juventutis*. 4 *Servitus ſervitutis*. 5 *Opus opuntis*.

Y S.

[1]*Y S* dat *Yos* Græco, ſed *Ys* bene more Latino.
[2]*Ynos* habent quædam, cum rectus in *YN* quoque finit.
Ys quoque *Ydos* videas; pro teſte *Chlamys chlamydos* vult.

1 *Erinnys erinnyos*, vel *erinnyis*. 2 *Gortys gortinos*, à *Gortyn*.

B S, P S, M S, L S.

I poſito inter B S & [1] P S formes Genitivum;
Monſtrat *Arabs arabis*: verum polyſyllaba ſemper
E per *I* mutabunt, ut *Cœlebs cœlibis*; *Auceps*
Aucupis optat; *Hyems hyemis, puls pultis* habebit.

1 *Stips ſtipis*.

N S & R S.

Cum ſubit S poſt *N* aut *R*, mutabitur in *Tis*;
Hoc tibi monſtrabit *Sors ſortis*, *Amans* & *amantis*.
Dis vult *Glans, nefrens*, capitis *Lens* & Folium [2]*Frons*,

Et

Et *Libripens*, *discors*, *concors*, & [3] cætera proles.
Elmins elminthos; *Tiryns tirynthos*. *Euntis*
Optat *Iens* cum [4] prole: tamen, quod ab [5] *Ambio* ducit
Ortum, per primam normam servabit *Ientis*.

1 *Lens lendis* pro vermiculo, seu pediculi pullo; at pro legumine habet *lentis*. 2 *Frons frondis* pro folio arboris; sed *frontis* pro anteriore capitis parte. 3 *Vecors*, &c. 4 *Abiens abeuntis*; *Adiens adeuntis*. 5 *Ambiens ambientis*.

T.

A *Caput* est *capitis*; *Cipitis* semper dato proli;
Occiput occipitis: sic [1] *Præceps præcipitis* vult.

1 Ex *Præ* & *Caput*, ut quidam volunt; alii ex *Præ* & *Capio*. Sic *Anceps anciptis*, *Biceps biciptis*; at *Particeps participis*, ex *Pars* & *Capio*.

X.

X in *Cis* muto; sic *Tradux traducis* edit.
X in *Gis* vertunt *Lex*, *Remex*, *Frux*, *Aquilex*que;
Et *Rex*, *Grex*; nec non his addas plurima Græca.
Impetigem jungas; verum polysyllaba si sint,
E per *I* mutabis; sic *Vertex verticis* effer:
E tamen hoc retinent, *Myrmex*, *Celex*que, *Lelex*que:
Adjungas *Vervex*, *Aquilex*, *Halex*que, *Resax*que.
Flecte *Senex senis*; atque *Supellex* [2] *Lectilis* optat.
Nix nivis, & *Nox noctis* habet; dant pauca per [3] *Actis*.
Conjugis à *Conjunx*; sed malim dicere *Conjux*.

1 *Sphinx sphingis*, &c. 2 *Supellex supellectilis*, ab antiquo Nominativo *Supellectile*. 3 *Hilax hilactis*.

Dativus singularis.

Tertius *I* præbet; sic *Phyllis phyllidi* format.

Accuſativus ſingularis.

[1] *EM* quartus ternæ caſus communiter optat.

1 *Dux ducem.*

EM dat & *IM Puppis*, [1] *Navis*, *Claviſque*, *Febriſque*,
Et *Reſtis*, *Turris*: multum lege, [2] plura notabis.

1 *Navem* uſitatius eſt quam *Navim*; & contra, *Turrim* quam *Turrem*. 2 *Cannabis cannabim.*

IM formant [1] *Cucumis*, [2] *Buris*, *Vis*, *Pelvis*, *Amuſſis*,
Atque *Sitis*, *Ravis*, *Tuſſis*; quibus adde *Securis*.
Junge etiam è Græcis quædam prout Virgilianus
Hic tibi monſtrabit verſus——*Tiberim Fabarimque*
Aut Ararim Parthus bibat, *aut Germania Tigrim.*

1 Legitur etiam *Cucumin* & *Cucumerem*. 2 *Burem* etiam reperiri aiunt.

IM dare & *IN* quædam videas [1] *Geneſim*, *Geneſinque*.
YN quædam formant: nobis ſit teſtis *Erinnys*.

1 A Nominativo *Geneſis*.

[1] Quæcunque in terno Græcorum nomina creſcunt,
Tu quartum caſum flecti per *A* ſæpe videbis.
Phyllida monſtrabit, quia ternus *Phyllidi* poſcit:
Hinc eſt, quod voces plures poſcant ſibi fines;
Ut *Paris*, & *parida*, & *paridem*, *parin*, atque *parim* vult;
Nempe, quia eſt patrio, *paridos*, *paridiſque*, *pariſque*.

1 Non ſufficit ut creſcat Genitivus; e. g. *Hæreſis hæreſios*; non tamen *hæreſia* in Accuſativo, quia Genitivus ſit in *Os* purum: at *Gigas gigantos giganti*, hinc *giganta*. Reperies tamen quædam in *Os* purum, quæ Accuſativum formant in *A*; ut *Heros*, *herois*, *heroa.*

Ablativus Singularis Subſtantivorum.

E ſibi ſextus avet, quod rite *Poemate* monſtrat.

At

At dabit *I* neutrum, si nomen in [1] *Al* vel in [2] *Ar* sit,
Sicut [3] *E*: tolle *Jubar*, *Sal*, *Far*, & *Nectar*, & *Hepar*.
I quoque dat, cujus quartus fiebat in [4] *Imve*,
Aut [5] *In*: sic *Strigilis* cum *Mugilis* atque *Canalis*.

1 Hoc *Animal animali*; Hic *Hannibal Hannibale*. 2 Hoc *Calcar calcari*; Hic *Hamilcar hamilcare*. 3 *Sedile sedili*. 4 *Vis*, *vim*, *vi*. 5 *Paris*, *Parin*, *Pari*.

I vel *E* formabis, cum quartus in [1] *Em* vel in *Im* sit.
His addas *Finis*, *Fustis*, *Pugil*, & *Vigil*, *Imber*,
Unguis, *Avis*, *Postis*, *Vectis*, cum *Nepte*, *Supellex*,
Atque *Tridens*, *Classis*, cum *Civis*, & *Amnis*, & *Ignis*.
Si bene discutias doctorum scripta virorum,
[2] Plura leges; sed tu cautus [3] potiora notabis.

1 *Clavis* in Accusativo *clavem* vel *clavim*, hinc *clave* vel *clavi*. 2 *Lux luci*. *Tempus tempori*, *Vesper vesperi*, *Rus ruri*. 3 *Ignis* usitatius est quam *Igni*, &c.

Ablativus singularis Adjectivorum.

Adjectiva, quibus neutrum per [1] *E* desinit, *I* dant.
In quibus annumeres menses, ut, [2] *Aprilis aprili*.
[3] In reliquis *E* vel *I*: *Plus pluri* flectitur apte.
Semper *E* donabunt hæc *Pauper*, *Sospes*, & *Hospes*.

1 Hic aut hæc *Mollis* & hoc *molle*, hinc in Ablativo *molli*. 2 *Aprilis* est Adjectivum, supprimitur enim *Mensis*. 3 *Felix felice* vel *felici*.

Nominativus pluralis Masculini vel Fœminini Generis.

Es primus pluralis habet, *Lapides* tibi monstrat.
Eis aut *Is* tantum *Tralleis*, *Sardeisque* requirunt:
Interdum & *Gadeis*, *Alpeis*; quibus addito *Syrteis*.

Nominativus pluralis neutri Generis.

Quando A, *quando* IA *formandum.*

Si fuit [1] *I* sexto, vel [2] *E* & *I*, ponas *IA*; verum
[3] *Pejori pejora* dabit; [4] conformia junge.
Degener atque *Vetus* pariter variare jubemus.
Si sextus tantum formabat [5] *E* non *Ia* ponas.

1 *Animal* in Ablativo singulari *Animali*; hinc *Animalia*. 2 *Felix felice* vel *felici*; hinc *felicia*. 3 *Pejus pejore* vel *pejori*; non tamen *pejoria*, sed *pejora*. 4 Reliqua Adjectiva Comparativi gradus; ut, *Doctior, Melior*. 5 *Corpus corpore*; hinc *corpora*: *Caput capite, capita*, &c.

Genitivus pluralis.

Græca per [1] *On* flectas; per & [2] *Um* per [3] *Ium*ve Latina.

1 *Lampas lampadon*; *Hæresis hæresion*, &c. 2 *Caput capitum*. 3 *Sedile sedilium*.

Quando I UM, quando UM formandum.

Effer *Ium*; sextus prior [1] *I* vel *E* si dedit, aut [2] *I*.
Doctior excipias; nec non [3] conformia cuncta:
Sic *Memor*, & *Dives*, *Consors*, quibus additur *Uber*,
Compos, & *Impos*, *Inops*, queis jungi *Degener* optat.
His addas quæ in [4] *Ceps Capio* dabit, & *Facio* [5] *Fex*.
Artificum nobis monstrabit, *Participum*que.

1 *Felix* in Ablativo *felice*, vel *felici*; hinc *felicium*. 2 *Animal animali*, hinc *animalium*. 3 Reliqua Adjectiva Comparativi gradus; ut, *Melior, Pejor*. 4 *Particeps*. 5 *Artifex*.

UM poscit tantum, cum sextus [1] *E* præbuit ante.
Tolle *Quiris*, *Samnis*, *Linter*, *Caro*, *Venter*, & *Assis*,
Ac *Uter*: interdum jungas [2] *Fornax*que, *Palus*que.

1 *Caput capite*, hinc *capitum*. 2 Aliquando *Fornacium*, *Paludium*.

Præbet *Ium*, cujus rectum duo consona claudunt;

Hoc

Hoc tibi monſtrabunt *Animanſque*, [1] *Parenſque*, *Cohorſque*.
Interdum contracta leges, pro teſte *Cohortum*.
Semper *Hyems Um* vult; veluti polyſyllaba cuncta,
In quibus eſt *BS* aut *PS*; ut *Cœlebſque*, *Cyclopſque*.

1 *Parens*, i. e. Pater aut Mater, vulgo *parentum*; *Parens*, i. e. Obediens, ſæpius *parentium*.

Tu per *Ium* flectas *Is* & *Es* pariſyllaba recto;
Ut, *Sedes ſedis*; *Menſis menſis*; tamen inde
Tolle *Canis*, *Panis*, *Vates*, *Juvenis*, *Volucriſque*:
[1] *Indolem* & adjungas, nec non *Prolem*, *Sobolem*que.

1 *Indoles*, *Proles*, *Soboles* raro in plurali legas.

Flecte etiam per *Ium*, quæ ſunt pluralia tantum;
Ut, *Manes*, *Fores*, *Vires*, *Tres*; junge [1] *Penates*.
Excipe *Opes*, *Proceres*, *Lemures*, *Luceres*, *Celereſque*,
Et cum *Cœlitibus* [2] *Majores*, atque *Minores*,
Primores; & quæ dictis conformia noris.

1 *Penatium*, & contracte *Penatum*; ſic *Optimates optimatum*, vel *optimatium*. Verum hæc & ſimilia pertinent ad polyſyllaba in *AS*: Fingendum eſt enim *Optimas optimatis*; de quibus mox. 2 *Majores* & *Minores* ſunt Adjectiva Comparativi gradus, de quibus poſtea.

Formabis per *Ium* ſemper [1] monoſyllaba: præter
Ren, *ſplen*, *fur*, *pes*, *crus*, *lex*, *rex*, *grex*, cum *nuce*, *ſlos*, *mos*,
Dux, *vox*, *ſus*, *laus*, *fraus*; & forſan plura notabis.
Boſque boum ſemper plurali dat Genitivo.

1 *Coscoium*, *Ars artium*, &c.

Nomina in *As* per *Ium* raro polyſyllaba flectas;
Ut, *Brevitas*, *Levitas*; niſi ſit Gentile, ut *Aquinas*.

Dativus pluralis.

Tertius eſt in [1] *Ibus*: *Bos bobus* flectitur apté.

Interdum *bubus* videas: & ſæpius *Is* dant
Græcorum quædam, quod monſtrat ritè [3] *Poema.*

1 *Lapidibus.* 2 *Poëma poematis* vel *poematibus.*

Accuſativus pluralis.

[1] *Es* quartus pluralis habet; ſed cum Genitivus
Format *Ium*, quartum vel in [2] *Eis* vel in *Is* quoque ponas:
Quos fines ſemper *Tralleis Sardeiſque* requirunt.
As quoque formabit, cum quartus *A* præbuit ante:
Lampas erit teſtis; ſic *lampada lampadas* optat.

1 *Lapides.* 2 *Omnis* in Gen. plurali *omnium*; inde *omnes, omneis*, vel *omnis.*

QUARTA DECLINATIO.

Quarta duos fines, [1] *Us* & [2] *U* dabit. [3] *Us* Genitivus
Format; [4] *Vis* raro. Per [5] *Vi* tibi tertius exit.
[6] *Um* poſcit quartus: fit ſextus in [7] *U* tibi caſus.
Um quarto, reliquis *U* caſibus optat *IESUS.*

1 *Fructus.* 2 *Genu.* 3 *Fructûs.* 4 *Hujus anuis gratia.* Ter. 5 *Fructui.*
6 *Fructum.* 7 *Fructu.*

[1] *Us* primus pluralis habet; cui jungito quartum.
Dant [2] *Ua* neutra per *U* numero non flexa priore.
Præbet [3] *Uum* patrius; per [4] *Ibus* formato Dativum.
Dant Ubus, Artus, Acus, [5] *Quercus Lacus,* & *Specus, Arcus.*
Et *Tribus*, ac *Partus:* Sed *Portus Ibus* dat, *Ubuſque.*

1 *Fructus.* 2 *Cornu cornua.* 3 *Fructuum.* 4 *Fructibus.*

QUINTA DECLINATIO.

[1] *Es* rectus; Genitivus *Ei*; ſic flecte Dativum.
Em poſcit quartus; fit ſextus in *E* tibi caſus.
Primus pluralis cum quarto ſemper in *Es* fit.
Erum dat patrius; ternum formabis in *Ebus.*

1 *Res, rei, rei, rem, re, res, rerum, rebus.*

NOMINA COMPOSITA.

COmpoſitum, Simplexq; modo flectuntur eodem;
Pes pedis; inde *Bipes bipedis* formare licebit.
Demitur [1] *Exſanguis*: nec [2] carmine plura recludam.

1 *Sanguis ſanguinis*; at *Exſanguis* habet *exſanguis* in Genitivo. 2 *Manus manûs* in Genitivo; at *Centimanus centimani.*

Hinc obiter obſerves vocem compoſitam ex duobus rectis, ſeu Nominativis, declinari per utrumque; ut, *Reſpublica, reipublicæ, rempublicam*, &c. Excipe *Alteruter* in Genitivo *alterutrius*, non *alteriusutrius*; in dativo *alterutri*, &c. ſecundum vulgarem verſum. *Alteruter rectum neſcit variare priorem.* Sic *Leopardus*, in Genitivo *leopardi*, non *leonipardi.* At vox compoſita ex recto & obliquo (i.e. ex Nominativo & quovis alio caſu, excepto Vocativo) declinatur per rectum tanntum; ut, *juriſperitus, juriſperiti*, &c. *juris* manente invariato. Si vero componatur ex duobus obliquis, uterque manet indeclinabilis; ut, *Hujuſmodi*; nunquam *huic modo.*

HETEROCLITA ſeu IRREGULARIA.

QUæ genus aut flexum variant, aliquo vel abundant,
Vel quæ deficiunt [1] *Heteroclita* nomine gaudent.

1 Heteroclitum ut aiunt, eſt *varians, abundans*, vel *deficiens.* At revera nulla eſt vox varians; nam e. g. *Vas vaſis* tertiæ, & *Vaſa vaſorum* ſecundæ declinationis varians non eſt: *Vaſa* enim non formatur à *Vas*, ſed à *Vaſum, vaſi*, quod apud Gellium & alios legas. Sed vulgarem ſequamur methodum.

Variantia genus.

Maſcula ſunt primo numero, ſed neutra ſecundo;
[1] *Mœnalus*, & *Pangæus, Dindymus, Iſmarus*, atque
Tartara, Taygetus; ſic *Tenara, Maſſica, Avernus.*

1 Olim *Menalum*; hinc in plurali *Manala*, & ſic de cæteris.

Nunc [1] *Jocus* atque [2] *Locus*, poterit queis *Sibilus* addi,
Maſculeum, neutrumque genus pluraliter edunt.

1 In ſingulari hic *Focus*; in plurali hi *joci*, vel hæc *joca*. 2 hic *Locus*, hi *loci*, vel hæc *loca*.

Hoc

Hoc *Cœlum, Porrum, Raſtrum*, pluraliter *I*dant.
Hoc *Filum, Clauſtrum, Frænum*, quibus adde *Capiſtrum*,
Maſcula plurali numero, ſeu neutra reponas.
Hoc *Epulum* flectas; *epulæ* plurale requirit.
Delicium nec non flexum depoſcit eundem.
[1] *Balnea* dic, vel *Eas*; numerus *prior Um* ſibi poſcit.

1 Hoc *Balneum*, in plurali hæ *Balneæ*, vel hæc *Balnea*.

Variantia Declinationem.

[1] *Vas vaſis* ternæ, pluraliter eſto ſecundæ.
[2] *Jugerum* amat flexum numero præeunte ſecundum.
Jugera plurali numero nunc tertius optat:
Jugeris in patrio videas, & *jugere* ſexto.

1 Superius dictum *Vas* varians non eſſe, & *Vaſa vaſorum* formari à *Vaſum vaſi*, non à *Vas vaſis*. 2 Hoc *Fugerum jugeri* ſecundæ; in plurali, hæc *jugera, jugerum, jugeribus* tertiæ declinationis.

DEFICIENTIA.

[1] Propria plurali ([2] niſi ſint pluralia tantum)
Cuncta carere volunt. [3] Frumenta, [4] Legumina & [5] Herbas,
Atque [6] Metallorum ſpecies, ſpecieſque [7] Liquorum;
Nec non [8] quæ Libræ, vel quæ [9] Menſuræ adhibentur,
Adjungunt aliqui. [10] Tamen uſurpare licebit
Plurali numero ſemper, cum poſtulat uſus.

1 Virorum, ut, *Jacobus*: Regionum; ut, *Gallia*: Inſularum; ut, *Britannia*: Urbium; ut, *Edinburgum*, &c. 2 Hi *Pariſii*, hæ *Athenæ*. 3 *Triticum*. 4 *Piſum*. 5 *Ruta*. 6 *Aurum*. 7 *Lac*. 8 *Butyrum*. 9 *Pannus*. 10 Hæc tamen in plurali uſurpantur, quoties requirit uſus, e. g. *Sex fuerunt Jacobi Scotorum Reges*. At (inquiunt) *Jacobus* hic proprium non eſt, ſed commune ſeu Appellativum. Sed *Jacobus*, qua Jacobo ſexto eſt proprium, plurali deſtituitur. Et ſic *Liber* nunc meum librum denotans plurali deſtituitur. De ſingulis vocibus idem efferas.

Maſculina plurali deſtituta.

Plurali careant *Aer, Pontus, Sopor, Æther,*

Heſperus,

Heſperus & *Veſper*, *Sanguis*, *Limuſque*, *Fimuſque*,
Et *Nemo*, *Ceſtus*, *Viſcus*, cui jungito *Mundus*.

1 Diligenter notandum haſce voces ad certas quaſdam ſignificationes eſſe reſtringendas; e. g. *Mundus* pro habitu muliebri plurali deſtituitur, at pro rerum univerſitate in plurali ſæpius legas, quod in ſequentibus etiam eſt obſervandum.

Fœminina plurali deſtituta.

Fama, *Fames*, *Lux*, *Culpa*, *Lues*, *Nex*, *Gloria*, *Labes*,
Alvus, *Humus*, *Sitis*, atque *Salus*, *Plebs*, *Talio*, *Tabes*,
Atque *Strues*, *Soboles*, *Proles*; queis junge *Supellex*,
Pax, *Cholera* & *Bilis*, cumque *Indole*, *Pix*, *Fuga* jungas.
Sic *Brevitas*, *Levitas*, & quæ conformia nôris
Mobilibus deducta ſuis; ſic plurima quintæ;
Ut *Sanies*, *Rabies*; poteruntque his millia jungi.

Neutra plurali deſtituta.

Paſcha, *Salum*, *Fœnum*, *Letum*, *Jubar* atque *Macellum*,
Ver, *Cœnum*, *Fel*, *Pus*, *Gluten*, *Vitrum*, *Barathrum* que,
Atque *Lutum*. Sunt, his quæ longe plura notârunt.
Si bene diſcutias doctorum ſcripta virorum,
Multa ſecus cernes, quam lex vult Grammaticorum.

Maſculina ſingulari deſtituta.

Maſculei generis ſunt hæc pluralia tantum;
Cancelli, *Cani*, *Gemini*, *Superi*, *Inferi* & *Antes*,
Liberi & *Annales*, *Natales*, *Codique-cilli*,
Poſteri, item *Loculi*, *Majores* atque *Minores*,
Et *Pugillares*, *Manes*, *Lemures*, *Procereſque*.

Fœminina ſingulari deſtituta.

Nuptiæ & *Exequiæ*, *Nonæ*, *Idus*, atque *Calendæ*,
Excubiæ, *Gerræ*, *Nugæ*, *Scopæque*, *Minæque*,

[1] *Litera* & *Exuviæ*, *Thermæ*, *Tricæ*, *Tenebræque*;
Feriæ & *Inſidiæ*, cum *Cunis*, *Relliquiiſque*,
Antiæ & *Inferiæ* cum *Diris*, *Vindiciiſque*,
Quiſquiliæ, *Phaleræ*, *Clitellæ*, *Induciæ*, & [2] *Ædes*.
Primitiæ cum *Divitiis*, & *Gadibus*, *Alpes*,
Manubiæ, atque *Facetiæ*, *Opes*, *Salebræ*, *Scatebræque*.

1 *Literæ* pro epiſtola hic ſumatur; quod tamen apud Poëtas in ſingulari reperias. 2 *Ædes*, i. e. *Templum* in ſingulari uſurpatur, pro *Domo* non item.

Neutra ſingulari deſtituta.

Mœnia, cum *Caſtris*, ſic *Arma*, *Crepundia*, *Bactra*,
Compita cum *Flabris*, *Bellaria*, [1] *Luſtra* ferarum,
Exta, *Cibaria*, *Teſqua*, *Repotia* cum *Paraphernis*;
His *Præcordia*, & *Incunabula*, *Munia* jungas:
[2] *Mœnia* ſunt ternæ, ſed cætera cuncta ſecundæ.
[3] Cætera vix verſu contingit dicere. Verum
Interdum numero potientur pauca priore.

1 *Luſtrum* pro ſpatio quinque annorum in ſingulari legitur; at pro ferarum ſpelunca, vel lupanari raro legi aiunt. 2 Hæc *Mœnia*, *mœnium*, *mœnibus* tertiæ declinationis; reliqua ſecundæ. 3 Innumera fere ſunt, quæ raro aut nunquam in ſingulari reperias; ut, *Biblia*, *Georgica*, *Bacchanalia*, *Mapalia*, *Magalia*, &c.

Numeralia ſingulari carentia.

Pluralem numerum tantum *Duo*, *Treſque* tenebant,
Et reliqui numeri, quibus eſt à [1] *Cardine* nomen;
Tot, *Quot* cum natis, *Aliquot*, *Quotquot*, *Totidem*que
Adjungas: nec non numerum, qui nomine gaudet
Diſtribuens; poterit nobis monſtrare *Quaterni*.

1 Numerus cardinalis; ut, *Quatuor*, *Quinque*, &c. At numerus ordinalis ſingularem habet, ut *Quartus*, *Quintus*, &c.

Inde-

Indeclinabilia.

Hæc non flexa manent; *Tot*, *Quot* cum [1] prole utriuſque
Pondo, *Pedum*, *Nequam*, *Nugas*, *Hir*, *Faſque*, *Nefaſque*,
Praſtoque, *Nil*, *Inſtarque*, *Nihil*, queis junge *Neceſſe*.
Sic *Nauci*, *Gummi*, nec non [2] conformia cuncta.
His jungas numeros; veluti, *Sex*, *Octo*, *Novemque*.
Hinc *Duo*, *Tres*, *Unus* volumus cum [3] *Millia* demi,
Ortaque de *Centum*, teſtem tibi pone *Ducenti*:
[4] Literulas jungas, & voces [5] materiales:
Barbara multa itidem, capias pro teſte *Balaam*.

1 *Totidem*, *Aliquot*, *Quotquot*, *Quotcunque*. 2 *Frugi*, *Sinapi*. 3 *Millia* in ſingulari indeclinabile, in plurali *Millia millium millibus*. 4 *A*, *B*, *C*, *Alpha*, *Beta*, &c. 5 Voces materiales; i. e. voces acceptas pro literis & ſyllabis, ſeclusâ ſignificatione; e. g. *HOMINEM* eſt *Accuſativi Caſus*: *AMAT* eſt *tertiæ perſonæ*.

Nomina quibuſdam tantum caſibus deſtituta, aut paucos ſolummodo habentia.

Inficia, *inficias* tantum dat; [1] *Suppetia*que
Suppetias format: [2] *Repetundarum repetundis*.
Tantundem ſolum *tantidem* debet habere.
O [3] *Macte* & *Macti* tantum: *Fors forte*, *Lueſque*
Flecte *lue* atque *luem*: [4] *Gratis grate* anteriore
Vult numero, tantum *grates* pluraliter edit.
Deque *Verū verubus* tollunt. *Vice* flecte, *vicem*que,
Atque *vices vicibus*: rectum removeto priorem
De [5] *Precis* atque [6] *Opis*, & [7] *Frugis*, queis *Verberis* addunt,
Impetis, *impete*, & *impetibus*: *Dica* flecte *dicam*que,
Atque *dicas*: numero dic ſexto *Ambage* priore,
Plurali vero *Ambages ambagibus* effer.
[8] *Vis*, *vis*, *vim*, *vi* dat, quondam has *veis*, nunc ferò *vires*.
Æs, *Far*, *Jus*, & *Hyems*, *Rus*, *Thus*, *Mel*, cum *Mare* vulgo

Tres

Tres [9] ſimiles caſus vulgo pluraliter edunt.
Quos etiam ſervare ſolent ſibi nomina [10] quintæ.
Tolle *Dies*, & *Res*, *Species*, *Acies*, *Facieſque*.

1 Leges etiam *Suppetiis*. 2 *Repetundarum* eſt Participium, ſeu Adjectivum verbale, pro *repetendus*; & ſupprimitur *Rerum*. 3 Reperias *Mactus* apud Cat. 4 *Gratis* in Genitivo, & *Grate* in Ablativo ſingulari; & in Nominativo, Accuſativo, & Vocativo pluralibus *Grates*. 5 *Prex*, unde *precis* in Genitivo, in uſu non eſt. 6 *Ops* pro Dea in Nominativo legas; pro auxilio non item. 7 Nominativus eſſet *Frux*, ſed non uſurpatur. 8 *Vis* Dativo carere aiunt, ſc. *vi*. 9 Nominativum, Accuſativum, Vocativum plurales. 10 Nomina quintæ declinationis carent etiam Genitivo, Dativo, & Ablativo pluralibus; ut, *Fides*, *Macies*, &c.

Carentia Vocativo.

Quæ [1] referunt; ut, *Qui*: quæ [2] percontantur; ut, *Ecquis*:
Et quæ [3] diſtribuunt; ut, *Nullus*, *Neuter* & *Omnis*.
[4] Infinita ſolent his jungi; ut, *Quilibet*, *Alter*:
Cuncta carere volunt quinto. [5] Pronomina quidam
Addunt: exceptis *Noſter*, *Noſtras*, *Meus* & *Tu*.

1 Relativum. 2 Interrogativum. 3 Diſtributivum. 4. Indefinitum. 5 *Ego*, *Ille*, *Is*, *Hic*, &c. At Cic. *O mox illa quæ tantas tenebras huic urbi attuliſti?*

Eſt Ablativus nonnullis ſolus in uſu,
Permiſſu, *Juſſu*, *Promptu*; queis junge *Rogatu*,
Et *Natu*: ſic [1] *Sponte*, *Aſtu*, *Noctuque* *Diuque*.

1 Reperias *Spontis*, ut & alia in quibuſdam caſibus. Complura etiam ſunt, quæ admodum raro legas niſi in Ablativo; ut, *Promiſſu*, *Hortatu*, *Relatu*, &c.

Abundantia.

Multiplex uno ſenſu, dicatur *Abundans*;
Teſtentur *Clypeus*, *Clypeum*; *Baculus*, *Baculumque*;
Tignus, vel *Tignum* jungas; ſic *Piſaque*, *Piſum*,

Cum

Cum pene innumeris, quæ lectio multa docebit.

Voces abundant vel solâ terminatione; ut, hæc *Arbor* vel *Arbos*: vel solâ declinatione; ut, hic *Laurus*, in Genitivo *Lauri* vel *Laurûs*: vel terminatione & declinatione simul; ut, hæc *Hebdomada*, *hebdomadæ*; vel hæc *hebdomas hebdomadis*: vel variè formando Genitivum, aut quemvis alium casum; ut, *Paris* in Genitivo *Paridis* vel *Paris*: *Clavis* in Accusativo *clavem* vel *clavim*: vel denique & genere, terminatione & declinatione; ut hoc *Colluvium colluvii*, vel hæc *Colluvio colluvionis*, aut *Colluvies colluviei*.

Diligenter autem notandum, licet in variis declinationibus reperiantur, non tamen semper per omnes casus variari; e. g. *Domus* est secundæ vel quartæ declinationis, *domi* vel *domus*: at *domo* in Dativo, *dome* in Vocativo, *domu* in ablativo; *domi* & *domus* in plurali in usu non sunt, secundum vulgarem versiculum, *Tolle me, mi, mu, mis, si declinare Domus vis.* Præterea *Domi* & *domus* in Genitivo sic differunt: *Ubi est Pater?* Resp. *Domi*; vel *in cacumine domus*; non *domi*.

[1] Multa tibi flexum dant quartum sive secundum;
Ut [2] *Domus* & *Laurus*, *Ficus*, *Colus*, & *Penus* adde,
Et *Lacus*, & *Quercus*, *Pinus*, *Cornus*, *Monitus*que,
Et quondam *Lectus*: sed tu potiora notabis.

1 Infiniti esset laboris omnes enumerare voces, quæ variè flectuntur. Quædam sunt primæ vel tertiæ declinationis; ut. *Orestes*, *Orestæ*, vel *Orestu*. Quædam secundæ vel tertiæ; ut. *Oedipus*, *Oedipi* vel *Oedipodis*. Quædam tertiæ vel quartæ; *Specus*, *specoris* & *specu*, saltem in quibusdam casibus. Quædam tertiæ & quintæ; *Requies requietis* & *requiei*. Num vero *Avaritia avaritiæ* primæ. & *avarities avaritiei* quintæ, & similia sint abundantibus accensenda, sub judice lis sit. 2 De *Domo* in regula superiore dictum.

Adjectiva volunt seu ternam, sive secundam,
Orta ex his fixis [1] *Limus*, [2] *Barba*, [3] *Arma*, [4] *Bacillus*, [5] *Norma*, [6] *Jugum*, [7] *Clivus*, [8] *Nervus*, [9] *Somnus*que; [10] *Animus*que;
Queis jungas [11] *Frænum*; multum lege, [12] plura notabis.

1 *Illimus* vel *illimis*. 2 *Imberbus* vel *imberbis*. 3 *Inermus* vel *inermis*. 4 *Imbecillus* vel *imbecillis*. 5 *Anormus* vel *anormis*. 6. *Bijugi* vel *bijuges*.

ges. 7 *Declivus* vel *declivis.* 8 *Enervus* vel *enervis.* 9 *Insomnus* vel *insomnis.* 10 *Unanimus* vel *unanimis.* 11 *Perennus* vel *perennis*, ab *Annus.* 12 *Elumbus* vel *elumbis*, à *Lumbus*, &c.

De Comparatione Adjectivorum.

TRes sunt gradus comparationis; positivus, ut, *Doctus*: comparativus, ut, *Doctior*: Superlativus, ut *Doctissimus.*

Doctior à [1] *Docti* formes: ita cuncta secundæ.

1 A Genitivo addendo *Or*; ut *Tener teneri tenerior.*

Finita in [1] *Dicus*, atq; [2] *Ficus*, [3] *Loquus*, & [4] *Volus* optant *Entior*: atque *Bonus melior*; *Magnus* dato *major*;
Atque *Malus pejor*, sic *Nequam nequior* effer:
Parvus flecte *minor*; [5] *Multum plus* dicere oportet.

1 *Maledicus maledicentior.* 2 *Magnificus magnificentior.* 3 *Magniloquus magniloquentior.* 4 *Benevolus benevolentior.* 5 Non est comparativus, qui respondeat ad *Multus*, aut *Multa*: *Plus* enim in singulari est Substantivum.

Fortior à [1] *forti* est: ita formes cætera ternæ.
Junior à *juvenis*: [2] normam quandoque reservat.

1 A Dativo addendo *Or*; ut, *Felix felici felicior*, &c. 2 *Juvenior* etiam reperitur.

A patrio *Docti* formes [1] *Doctissimus* apte.
Non minus à terno *Forti* [2] *Fortissimus* effer.

1 A Genitivo addendo *S*, & *Simus.* 2 A Dativo addendo *S* & *Simus.*

S mutant in *Mus* [1] *Facilis*, *Similisque*, *Humilisque*:
Raro [2] *Agilis*, *Gracilis*, *Docilis.* [3] Sæpe *L* geminatur.

1 *Facilimus*, *Similimus*, *Humilimus.* 2 *Agilissimus* sæpius quam *Agilimus*, &c. 3 *Facillimus*, *similimus*, *humillimus.*

Quæ *Entior* efformant, pones [1] *Entissimus* apte.

1 *Maledici*

1 *Maledicus, maledicentior, maledicentiſſimus*; *Magnificus, magnificentior, magnificentiſſimus*, &c. At *Mirificus, mirificiſſimus.*

Er Rimus adjunge; ut, *Pulcher pulcherrimus* edit.
Extimus Exter habet; quod & *extremus* bene format:
Sic [1]*Citer* & [2]*Dexter*, quibus addas rite [3]*Siniſter*,
Dant *Timus*: atque *Vetus* variare [4]*veterrimus* optat.
Poſterus in *poſtremus* abit: *Bonus optimus* edit:
Maximus à *Magnus*, ſic *Peſſimus* à *Malus* effer.
Parvus amat *minimus*; *Nequam nequiſſimus* inque.
Plurimus à [5]*Multus* ſemper deducere oportet.

1 *Citimus*; ſed rarò legitur. 2 *Dextimus.* 3 *Siniſtimus.* 4 ab antiquo nomine *Veter.* Sic *Maturus maturrimus* à *Matur*; ſed *maturiſſimus* à *Maturus.* 5 *Multus* ſic comparatur, *Multus plurimus*, *multa plurima*; *Multum, plus, plurimum.*

Accipiunt aliunde gradus vocabula quædam;
Ultimus ulterior rite efformabis ab *Ultra*:
Intimus interior pariter variabis ab *Intra*:
Ante, prior, primus faciat; *Prope, proximus* edit;
Et *propior*. Nunc marte tuo ſic [1] cætera formes.

1 *Infra, inferior, infimus*; nam *inferus* vix uſurpatur. *Supra, ſuperior, ſupremus*; *Superus* enim raro legas.

Nomina in [1]*Us* purum prædictas ſpernere normas
Conſuerunt: his junge *Magis* cum *Maxime*, & aptè
Talia ſuppletâ formabis nomina voce.

1 *Pius*, non *piior*, ſecundum regulam generalem; ſed, *Magis pius*; *maxime pius*; ſic *Strenuus*, non *ſtrenuior*, ſed, *magis ſtrenuus*, *maxime ſtrenuus*, &c. Interdum tamen præcipue in ſuperlativo, *Strenuior, ſtrenuiſſimus*; *Piiſſimus*, vel *pientiſſimus.*

Non flexæ voces aliquando gradus variabunt.
Sæpe, Diu, Docte, Sero, Bene, cum *Male* jungas.

Sæpius, Diutius, Doctius, Serius, Melius, Pejus; *Sæpiſſime, Diutiſſime, Doctiſſime, Optime, Peſſime.*

Comparatio Subſtantivorum.

[1] Fixa gradus variant, ſi tanquam Mobile ponas.

1 *Nero neronior*, i. e. *Crudelis crudelior*. *Nero* enim vir fuit crudeliſſimus.

Carentia Poſitivo.

Hæc viduata gradu ſunt pauca ſequentia primo; [1] *Ultimus ulterior*; *Prior & primus*; *Propior*que *Proximus*; *Ocyor* atque *Ocyſſimus* adjiciatur.

1 Superius dictum poſitivum ſic ſuppleri poſſe; *Ultra ulterior*, *Ante anterior*, &c. *Ocyor* autem ſuppleri debet voce Synonyma, *i. e.* idem ſignificante; ſc. *Celer*, *ocyor*, *ocyſſimus*.

Carentia Comparativo.

Multa gradu careant medio: velut [1] *Inclytus*, atque *Fidus*, & *Invitus*, *Falſus*, *Belluſque*, *Sacer*que.

1. Hæc etiam ſuppleas hunc in modum; *Inclytus*, *magis inclytus*, *maxime inclytus*.

Carentia Superlativo.

Multa gradu careant terno; pro teſte *Adoleſcens*, Atque *Senex*, *Juvenis*; cui *Dives*, [1] Pluraque jungunt. *Anterior*que addunt quidam; verum poſitivum *Anterus*, aut *Anter* raro, aut vix videris unquam.

1. *Remiſſus*, *Opimus*, *Longinquus*, &c.

Annotatiuncula.

Sola Adjectiva comparantur, quorum ſignificatio poteſt augeri vel minui: nec ea omnia; e. g. *Amus*, *Claudus*, *Egenus*, comparari non ſolent. Præterea, quædam Adjectiva, quorum ſignificatio reverà augeri nequit, interdum comparari videas, ſc. ob majorem emphaſin; ut, *Tuus tuiſſimus*, *Ipſe ipſiſſimus*.

ANNO-

ANNOTATIONES IN NOMINA.

Prima Nominis Diviſio.

Nomen eſt { Subſtantivum; / Adjectivum; } ut { *Pater.* / *Paternus.* }

Subdiviſiones.

Subſtantivum { Proprium; / Appellativum; } ut { *Carolus.* / *Rex.* }

Adjectivum { Comparabile / Incomparabile } ut { *Doctus.* / *Omnis.* }

Incomparabile { Interrogativum; / Relativum; / Partitivum; / Demonſtrativum; / Poſſeſſivum; / Gentile; / Numerale; } ut { *Quis.* / *Qui.* / *Quiſque.* / *Ille.* / *Meus.* / *Scotus,* / *Octo.* }

Numerale { Cardinale; / Ordinale; / Diſtributivum; / Multiplicativum; } ut { *Tres.* / *Tertius.* / *Ternus.* / *Triplex.* }

De Nomine.

Nomen eſt pars orationis, quæ per genera, numeros & caſus flectitur ſine tempore rem denotans; ut, *Lapis, Manus, Felix,* &c.

De Subſtantivo.

Subſtantivum eſt, quod Verbo additum perfectum facit ſenſum; ut, *Da pennam. Video Præceptorem, Amo Patrem,* &c.

De Adjectivo.

Adjectivum eſt, quod ſine Subſtantivo perfectum ſenſum non facit; ut, *Da dulce*; ſc. *pomum. Video ambulantem*; ſc. *Præceptorem. Amo meum*; ſc. *Patrem,* &c.

De Proprio.

Proprium eſt, quod rei uni peculiare eſt; ut, *Carolus* Scotorum Regi.

Proprium habet quatuor ſpecies, { *Nomen.* *Prænomen.* *Cognomen.* *Agnomen.*

Nomen cuilibet convenit; ut, *Petrus, Joannes,* &c.

Prænomen honoris, aut diſcriminis gratiâ nomini præponi ſolet; ut, *Marcus Tullius,* &c. Hinc originem duxerunt Magnatum tituli; ſc. *Duces, Marchiones, Comites,* &c.

Cognomen familiam, aut cognationem indicat; cujuſmodi ſunt, *Stuarti, Bruſſii.*

Agnomen ab eventu aliquo hominibus accidit; *Ovidius* (ut aiunt) vocabatur *Naſo,* quia magnum habebat naſum.

De Appellativo.

Appellativum eſt, quod multis commune eſt; ut, *Homo, Lapis,* &c.

De Comparabili.

Comparabile eſt, cujus ſignificatio poteſt augeri, vel minui; ut, *Doctus, Doctior, Doctiſſimus.*

De Incomparabili.

Incomparabile eſt, cujus ſignificatio augeri, vel minui non poteſt; ut, *Omnis.*

De Interrogativo, Relativo, Partitivo, &c.

Interrogativum eſt, quo interrogamus: *Relativum,* quod ad aliquid præcedens relationem habet: *Partitivum,* quod partem multitudinis indicat, vel quod ſigillatim multa ſignificat: *Demonſtrativum,* quo aliquid demonſtramus: *Poſſeſſivum,* quod poſſeſſionem aut proprietatem aliquam ſignificat: *Gentile,* quod patriam aut gentem denotat: *Numerale,* quod numerum indicat: *Cardinale,* quod numerum integrum ſignificat: *Ordinale,* quod certum quendam numerum denotat.

Secunda Nominis Divisio.

Nomen est { Primitivum; / Derivativum; } ut, { *Amicus.* / *Amicitia.* }

De Primitivo.

Primitivum est vox à nulla alia originem ducens, secundum opinionem Doctiorum; ut, *Terra*, &c. Sunt, qui vocem hanc à *Tero* deducunt; quia nimirum terra pedibus teritur.

De Derivativo.

Derivativum (vel potius derivatum) est, quod ab alia voce originem ducit; ut, *Pietas* à *Pius*.

Derivativa sunt vel *Denominativa*, vel *Verbalia*.

De Denominativo.

Denominativum est, quod à Nomine derivatur; ut, *Fustitia* à *Fustus*; *Saluber* à *Salus*.

De Verbali.

Verbale est. quod à Verbo derivatur; ut, *Lectio* à *Lego*; *Cursus* à *Curro*; *Colonus* a *Colo*.

De Diminutivo.

Ad Derivativum reduci potest diminutivum; ut, *Libellus* à *Liber*; *Homuncio*, vel *Homunculus* ab *Homo*.

Dicitur diminutivum, quia primitivi diminuit significationem; *Lapillus*, i. e. *Parvus Lapis*.

Tertia Nominis Divisio.

Nomen est { Simplex; / Compositum; } ut, { *Similis.* / *Persimilis.* }

De Simplici.

Simplex est, quod ex duabus vocibus non constat; ut, *Lapis*, *Dominus*, &c.

De Compoſito.

Compoſitum eſt, quod ex duabus vocibus conficitur; ut, *Omnipotens*, ex *Omne* & *Potens*.

De Derivatione Pronominum.

Decem habentur Pronomina primitiva; ſc. *Ego*, *Tu*, *Sui*, *Ille*, *Ipſe*, *Iſte*, *Hic*, *Is*, *Quis*, *Qui*; & novem derivativa, ſc. *Meus*, *Tuus*, *Suus*, *Noſter*, *Veſter*, *Noſtras*, *Veſtras*, *Cujus*, & *Cujas*. Hæc derivantur à Genitivo Primitivorum *Ego*, *Tu*, *Sui*, & *Qui*; ut, *Meus* à *Mei*; *Noſter*, & *Noſtras* à *Noſtri*; *Tuus* à *Tui*; *Veſter* & *Veſtras* à *Veſtri*; *Suus* à *Sui*; *Cujus*, *a*, *um*, & *Cujas*, à *Cujus*.

De Compoſitione Pronominum.

Pronomen componitur ex Nomine & Pronomine; ut, *Aliquis* ex *Alius* & *Quis*.

Ex duobus Pronominibus; ut, *Quiſquis*: *Iſthic*, vel *Iſtic*, ex *Iſte* & *Hic*.

Ex Pronomine & Verbo; ut, *Quivis*, *Quilibet*.

Ex Pronomine & Adverbio, ſeu voce indeclinabili; ut, *Nequis*, *Numquis*, *Siquis*, &c.

Ex Pronomine & Præpoſitione; ut, *Mecum*, *Tecum*, *Nobiſcum*, &c.

Ex Pronomine & Conjunctione; ut, *Quiſque*.

Vel denique Ex Pronomine & Syllabica adjectione, ut loquuntur; cujuſmodi ſunt *Met*, *Te*, &c. ut, *Egomet*, *Tute*.

Quis nunc præponitur, nunc poſtponitur in compoſitione; ut, *Quisnam*, *Ecquis*, &c. Ubi *Quis* poſtponitur, Neutrum plurale habet *A*, non *Æ*; ut, *Siqua*, *Aliqua*; non *Siquæ*, *Aliquæ*: Hinc fiat

Annotatiuncula.

Poſt haſce particulas; *Ec*, *Ne*, *Num*, *Si*, *Alius*, ſequuntur *Quis*, & *Qua*; non *Qui*, & *Quæ*: e. g. *Ecqua*, *Siquis*, *Numquis*; *Ecqua*, *Siqua*, *Numqua*, &c. non *Ecqui*, *Siqui*, &c. ſc. in Nominativo ſingulari: dicendum quidem eſt, *Siqui Viri*, *Siquæ Mulieres*; at non, *Siqui Vir*, *Siquæ Mulier*.

Quu, *Nam*, *Quam*, *Que*, *Piam*, *Putas* ſequuntur *Quis* & *Quæ*; non, *Qui*, & *Qua*: e. g. *Quiſquis*, *Quiſnam*, *Quiſquam*; *Quæque*, *Quænam*,

Quænam, &c. ſc. in Nominativo ſingulari: leges quidem in Ablativo, *Quanam*, *Quaque*, &c.

Dam, *Vis*, *Cunque*, *Libet*, ſequuntur *Qui* & *Quæ*; non *Quis* & *Qua*: e. g. *Quidam*, *quædam*; *Quilibet*, *qualibet*: non, *Quiſlibet*, *qualibet*. &c. In Ablativo quidem videas *qualibet*, *quacunque*.

Poſtremo notandum complura ex hiſce Nominibus in multis caſibus non reperiri: e. g. *Quiſquis* in Genitivo & Dativo non legitur; *Cujuſcujus*, *Cuicui*: at in Accuſativo *Quemquem*, & Ablativo *quoquo*: aiunt etiam reperiri *quibuſquibus* in Dativo plurali. *Quidquid* non uſurpatur, ne bis interrogare videamur; ſed illius vice utimur *Quicquid*. Infinita hujuſmodi inter legenda notabis.

Quarta Nominis Diviſio.

Nomen eſt { Regulare; / Irregulare; } ut, { *Mucro.* / *Caro.* }

De Regulari.

Regulare eſt, quod habet ſe ſecundum aliquam regulam generalem; ut, *Finita in O Maſculina ſunt*: Hic *Mucro*. Item, *Finita in* o, *aſſumunt* nis *in Genitivo*; ut *Mucro mucronis*.

De Irregulari.

Irregulare eſt, quod à communi, ſeu generali aliqua regula deflectit; ut, *Caro* ſecundum regulam Nominum in *O* eſſet Maſculinum, cum tamen Fœmininum ſit: & regulariter formaret *Caronis* in Genitivo, cum tamen habeat *Carnis*: Sed de hiſce paſſim jam dictum.

De Patronymico.

Patronymicum, quaſi *Patris nomen*; eſt dictio vulgo à nomine patris derivata; ut. *Priamides*, i. e. *Filius Priami*, nimirum *Hector*. Ab aliis etiam Nominibus derivatur; ut ex tabula patet.

A Nomine.

Patris,	ut,	*Æacides,*	i. e.	*Peleus Æaci* filius.
Avi,		*Æacides,*		*Achilles Æaci* nepos.
Proavi,		*Æacides,*		*Pyrrhus Æaci* pronepos.
Matris,		*Phillyrides,*		*Chiron Phillyræ* filius.
Fratris,		*Phaethontias,*		*Lampetia Phaetontis* soror.
Filii,		*Melagris,*		*Althea Melagri* mater.
Mariti,		*Menelais,*		*Helena Menelai* uxor.
Regis,		*Romulidæ,*		*Romani* à Rege *Romulo.*
Dei,		*Phœbas,*		*Phœbi* Sacerdos.
Regionis,		*Thessalis,*		Mulier ex *Thessalia.*
Urbis,		*Troas,*		Mulier *Trojana.*

Patronymicum quatuor habet terminationes; *DES* masculini; *AS*, *IS*, *E*, fœminini generis; *AS* & *IS*, tertiæ, *DES* & *E* primæ declinationis: declinandi autem forma ex sequenti tabula patebit.

AS ados;	ut,	*Pelias*	*Peliados,*	sicut	*Lampas.*
IS idos;		*Æneis*	*Æneidos,*		*Pyxis.*
E es;		*Nerine*	*Nerines,*		*Epitome.*
DES æ;		*Mæonides*	*Mæonidæ,*		*Anchises.*

Nulla certa dari potest regula qua Patronymici formandi modum scias: vulgo fit à Genitivo, sed plerunque cum additione, mutatione, aut ablatione Literarum, vel Syllabarum; ut ex sequentibus exemplis patet.

AS: Oeta, ætæ; hinc *Oetias: Peleus, Pelei*; hinc *Pelias*, &c.

IS: Priamus, Priami; hinc *Priamis: Æneas, Æneæ*; hinc *Æneis.*

E: Nereus Nerei; hinc *Nerine: Adrastus Adrasti*, hinc *Adrastine.*

DES: Priamus Priami; hinc *Priamides: Hector Hectoris, Hectorides: Peleus Pelei, Pelides: Mænætius Mænætii, Mænætiades*, &c.

Est & quinta terminatio, sc. *ION*, sed rarior; ut, *Japetion* ab *Japeto: Oedipodion* ab *Oedipode*, &c. Atque hæc terminatio est masculini generis.

De

De Præteritis & Supinis Verborum.

Prima Conjugatio.

AVI præterito dabit, *Atum* prima ſupino;
Hoc *Vigilo* monſtrat *vigilavi* dans *vigilatum.*

Exceptiones.

Do dedit atque *datum* vult; *Sto ſtetit*, indeque *ſtatum*,
Ex [1]*Sto* compoſitum *ſtitit*, atque *ſtitum* variabis.
Et *Lavo* dat *lavi*, *lotum lautum*que, *lavatum.*
Poto magis [2] *potum*; *Juvo juvi*, vix bene *jutum.*

1 *Adſto adſtiti adſtitum*, vel etiam *adſtatum.* 2 *Potum* uſitatius quam *potatum.*

Dant *Vi*, *Itum*que [1] *Cubo*, *Veto*, cum *Sono*; junge *Crepare*,
Et *Domat*, atque *Tonat.* Melius ſequitur [2] *Plico* normam:
At [3] *Proles*, quæ fit compoſta ex Præpoſitura,
Nunc *Vi*, *itum*que dabit, nunc format & *Avi* & *Atum.*
Avi, *Atum* ſolum dant *Supplico*, *Replico*; ſicut
Omnia quæ parit [4] orta *Plico* cum Nomine junctum.
Nulla ſupina creat *Mico*, dans *micui*: dato *Nexo*
Nexuit, & *nexum*; [5] ternæ quoque ſæpe videbis.
Et *Seco* vult *ſecui ſectum*: *Frico* jungitur illi;
Et [6] *Neco*, quod melius per normam flectito primam.
E[7] reliquis non pauca leges pariter variata.

1 *Cubui cubitum*, &c. 2 *Plico plicavi plicatum*, vel *plicui pliciturn*; verum rarius legitur ſimplex *Plico* in temporibus à perfecto formatis. 3 Compoſita à *Plico* cum Præpoſitione. habent *Vi*, *Itum*, vel *Avi*, *Atum*; ut, *Applico*, *Complico*, *Explico*, *Implico.* 4 Compoſita à *Plico* cum Nomine, habent *Avi*, *Atum*; ut, *Duplico*, *Multiplico*, &c. 5 Interdum *Nexo nexis* tertiæ Conjugationis. 6 *Neco*, *necui*, *nectum*; vel

A Nomine.

Patris,		*Æacides*,		*Peleus Æaci* filius.
Avi,		*Æacides*,		*Achilles Æaci* nepos.
Proavi,		*Æacides*,		*Pyrrhus Æaci* pronepos.
Matris,		*Philyrides*,		*Chiron Philyræ* filius.
Fratris,		*Phaethontius*,		*Lampetia Phaetontis* soror.
Filii,	ut,	*Melagris*,	i.e.	*Althea Melagri* mater.
Mariti,		*Menelais*,		*Helena Menelai* uxor.
Regis,		*Romulidæ*,		*Romani* à Rege *Romulo*.
Dei,		*Phœbas*,		*Phœbi* Sacerdos.
Regionis,		*Thessalis*,		Mulier ex *Thessalia*.
Urbis,		*Trous*,		Mulier *Trojana*.

Patronymicum quatuor habet terminationes; *DES* masculini; *AS*, *IS*, *E*, fœminini generis; *AS* & *IS*, tertiæ, *DES* & *E* primæ declinationis: declinandi autem forma ex sequenti tabula patebit.

AS ados;	ut,	*Pelias*	*Peliados*,	sicut	*Lampas.*
IS idos;		*Æneis*	*Æneidos*,		*Pyxis.*
E es;		*Nerine*	*Nerines*,		*Epitome.*
DES æ;		*Mæonides*	*Mæonidæ*,		*Anchises.*

Nulla certa dari potest regula qua Patronymici formandi modum scias: vulgo fit à Genitivo, sed plerunque cum additione, mutatione, aut ablatione Literarum, vel Syllabarum; ut ex sequentibus exemplis patet.

AS: Oeta, æ; hinc *Oetias: Peleus, Pelei*; hinc *Pelias*, &c.

IS: Priamus, Priami; hinc *Priamis: Æneas, Æneæ*; hinc *Æneis.*

E: Nereus Nerei; hinc *Nerine: Adrastus Adrasti*, hinc *Adrastine.*

DES: Priamus Priami; hinc *Priamides: Hector Hectoris, Hectorides: Peleus Pelei, Pelides: Mœnetius Mœnetii, Mœnetiades*, &c.

Est & quinta terminatio, sc. *ION*, sed rarior; ut, *Japetion* ab *Japeto: Oedipodion* ab *Oedipode*, &c. Atque hæc terminatio est masculini generis.

De

De Præteritis & Supinis Verborum.

Prima Conjugatio.

AVI præterito dabit, *Atum* prima ſupino;
Hoc *Vigilo* monſtrat *vigilavi* dans *vigilatum.*

Exceptiones.

Do dedit atque *datum* vult; *Sto ſtetit*, indeque *ſtatum*,
Ex [1]*Sto* compoſitum *ſtitit*, atque *ſtitum* variabis.
Et *Lavo* dat *lavi*, *lotum lautum*que, *lavatum.*
Poto magis [2] *potum*; *Juvo juvi*, vix bene *jutum.*

1 *Adſto adſtiti adſtitum*, vel etiam *adſtatum.* 2 *Potum* uſitatius quam *potatum.*

Dant *Ui*, *Itum*que [1] *Cubo*, *Veto*, cum *Sono*; junge *Crepare*,
Et *Domat*, atque *Tonat.* Melius ſequitur [2] *Plico* normam:
At [3] *Proles*, quæ fit compoſta ex Præpoſitura,
Nunc *Ui*, *itum*que dabit, nunc format & *Avi* & *Atum.*
Avi, *Atum* ſolum dant *Supplico*, *Replico*; ſicut
Omnia quæ parit [4] orta *Plico* cum Nomine junctum.
Nulla ſupina creat *Mico*, dans *micui*: dato *Nexo*
Nexuit, & *nexum*; [5] ternæ quoque ſæpe videbis.
Et *Seco* vult *ſecui ſectum*: *Frico* jungitur illi;
Et [6] *Neco*, quod melius per normam flectito primam.
E [7] reliquis non pauca leges pariter variata.

1 *Cubui cubitum*, &c. 2 *Plico plicavi plicatum*, vel *plicui plicitum*: verum rarius legitur ſimplex *Plico* in temporibus à perfecto formatis. 3 Compoſita à *Plico* cum Præpoſitione habent *Ui*, *Itum*, vel *Avi*, *Atum*; ut, *Applico*, *Complico*, *Explico*, *Implico.* 4 Compoſita à *Plico* cum Nomine, habent *Avi*. *Atum*; ut, *Duplico*, *Multiplico*, &c. 5 Interdum *Nexo nexis* tertiæ Conjugationis. 6 *Neco*, *necui*, *nectum*; vel

vel potius *necavi necatum.* 7 Pleraque Verba à principali regula excepta per *Avi, Atum* formata interdum reperias; ut, *Domo, domavi, domatum: Sono, sonavi, sonatum,* &c.

Secunda Conjugatio.

Præteritum per *Vi* flecti, per *Itum*que supinum
Rite secunda cupit; *Moneo, monui, monitum*que.

Exceptiones.

Dat *Doceo doctum*; *Teneo tentum*: potiusque
Misceo vult *mistum*; quam *mixtum*: *Torreo tostum*:
Censeo dic *censum*: *Pateo* [1] *passum*que reflectas.
[2] Communem normam semper perfecta tenebunt.

1 *Passum* à *Pando*, potius quam *Pateo*. 2 *Docui, Tenui*, &c.

BEO.

Præterito *Jubeo jussi, jussum*que supino.

CEO.

Luceo formabit *luxi*, nullumque supinum.
Mulceo, si flectas, *Mulsi mulsum*que tenebit.

DEO.

Ardeo dic *arsi*; sed rarius inde fit *arsum*.
Mordeo præteritum geminans formato *momordi*;
Sic [1] *Pendet, Spondet, Tondet*: tamen ista supino
Non geminant *morsum, pensum, sponsum*, dato *tonsum*.
Prandeo dic *prandi, pransum*: vult *Rideo risi*,
Et *risum*: *Sedeo sedi, sessum*que tenebit.
Suadeo formabit *suasi suasum*: *Video*que
Dat *Di, sum*: *stridi* sic *Stridee*, tolle supinum.

1 *Pependi, Spopondi, Totondi.*

GEO.

GEO.

Quatuor hæc, *Urget, Fulget,* cum *Turget,* & *Alget.*
Dant [1] *Si* præterito, nullo comitante ſupino.
Lugeo dat *luxi luxum;* ſic *Augeo* formes.
Frigeo dic [2] *frixi*; ſed rarius, abſque ſupino.
Mulgeo vult *mulſi, mulctum*que: *Indulgeo* poſcit
Indulſi, indultum; quoties variare juvabit.

1 *Urſi, Fulſi,* &c. 2 Quidam formant *Frigui:* verum nec *Frixi* nec *Frigui* in uſu ſunt.

LEO.

Deleo delevi, deletum dic; *Fleo flevi,*
Et *fletum:* pariterque *Pleo* formabitur illi.
Polleo nil format: de [1] *Oleo* diſquirito gloſſam.

1 *Oleo olui olitum.* & *olevi oletum* formare aiunt: Compoſita ſæpius *evi itum*; *Aboleo abolevi abolitum: Adoleo* contrahitur *adultum.*

MEO.

Formabit *Timeo timui:* nullumque ſupinum.

NEO.

Dat [1] *Maneo manſi manſum: Neo nevit,* & *Etum.*

1 Sic compoſita: *Permaneo permanſi. permanſum,* &c. Notandum *Emineo, Immineo* & ſimilia non componi à *Maneo,* ut vulgo docetur; ſed à *Mineo*; de quo alibi.

QUEO.

Præterito *Liqueo licui* vult abſque ſupino.
Torqueo formari *torſi tortum*que videbis.

REO.

Hæreo, ſi flectas, formato per *hæſit,* & *hæſum.*

VEO.

VEO.

Dic *Moveo movi motum:* [1] conformia junge.
At *Caveo cautum, Faveo fautum.* In *Veo* [2] neutra
Nulla ſupina dabunt; hoc nobis *Ferveo* monſtrat.
[3] *Connivet, Vi Xi*que dabit, nullumque ſupinum.

1 *Foveo, fovi, fotum,* &c. 2 Quædam neutra carent etiam præterito; ut, *Flaveo.* 3 *Connivi* vel *connixi*; ſed poſterius in uſu non eſt.

IEO.

Vult *Cieo* [1] *civi,* atque *citum*; *Vieo, Evit,* & *Etum.*

1 *Civi* à *Cio* quartæ formari videtur.

Notatiuncula.

Quod dat *Vi* [1] neutrale, caret plerunque ſupino:
Excipias *Caleo, Doleo, Taceo.* [2] *Valeo*que.
Adjungas [3] *Noceo, Careo, Mereo, Placeo*que.

1 Neutrum Verbum habens in præterito *Vi.* caret ſupino; ut, *Madeo madui.* 2 *Valeo* raro format ſupinum *valitum*; at ſæpius legas *valiturus,* quod inde formatur. Idem in aliis Verbis notandum. 3 *Noceo* activum potius videtur, quam neutrum: ſic *Placeo* & *Mereo.*

Tertia Conjugatio.

BO.

[1] *Bo Bi, Tum*que facit; *Scabo, Lambo* carento ſupinis.
[2] Orta *Cubo cubui* flecti, *cubitum*que notabis.
Dant *Pſi, Ptum, Nubo, Scribo*; quibus addito *Sorbo.*

1 *Bibo bibi bibitum.* 2 *Accumbo,* & reliqua compoſita à *Cubo,* quæ aſſumunt *M,* ſunt tertiæ conjugationis; *Accubo,* & cætera ſine *M,* primæ.

CO.

CO.

Ico, Ci Ctum vult: *Vinco vici* dato, *victum.*
Vult *Dico dixi dictum:* sic *Duco*; *peperci*,
Et *parsum Parco*; vel *parsi parsitum* habeto.

SCO.

In *Vi Tum* muta [1] *Sco: Pasco* dat tibi *pastum.*
[2] *Agnosco.* [3] *Cognosco* leges per *Itum* variata.
Præteritum à *Glisco* nullum; cui junge *Fatisco*;
[4] Incœptiva simul, nisi sint à simplice ducta.
Posco poposcit habet; *didici* quoque *disco* tenebit.
Compesco formabit *Ui*, & *Dispesco*: supino
Quæ per [5] *Itum* flectas, licet horum rarior usus.
Conquinisco dabit *conquexi*; ast absque supino.

1 *Cresco crevi cretum.* 2 *Agnitum.* 3 *Cognitum.* 4 *Convalesco convalui* à *Convaleo*; *Conticesco conticui* à *Conticeo*, &c. 5 *Poscitum, discitum, compescitum, dispescitum*; sed rarius legas.

DO.

DO migrat in *Di Sum:* sic *Scando* dicito *scandi*,
Et *scansum:* pariter [1] simplex *Edo* flectitur illi.
Pando [2] etiam *passum: Fundo fudi* dato *fusum:*
Scindo scidi scissum vult: *Findo fidi* dato *fissum.*

1 *Edo* verbum simplex *edi esum* secundum regulam; & interdum *estum*, saltem in Compositis; ut, *Comedo comestum.* At *Edo* compositum ex *E*, vel *Ex* & *Do*, format *Edidi editum*, ut postea patebit. 2 *Pando pandi pansum* secundum regulam, vel etiam *passum.*

A *Cado* fit *cecidi casum:* conforme supinum.
Occido dat, *Recido*que: carent hoc cætera [1] nata.
Cedo monopthongum *cessi cessum*que tenebit;
At cum diphthongo formabit *Cædo cecidi*,

Cæsum;

Cæsum: sed [2] soboles *Cidi Cisum*que: *pependi*
Et *pensum Pendo* dat: *Pedo pepidit Itum*que.

1 *Accido*, &c. 2 *Occido occidi occisum.*

Tendo tetendi amat *tensum, tentum*que frequenter.
Tundo facit *tutudi tunsum*; [1] compostaque *tusum.*
Sido præteritum nescit, sed nata cooptant
A *Sedeo sedi*; testes [2] *Consido, Resido.*
Rudo tenet normam; sic *Strido*, sed absque supino.

1 *Contundo contusum.* 2 *Consedi, Resedi*, sed legitur apud Colum. *Patiemurque picem considere, & cum siderit*, &c.

Si Sum donabunt [1] *Ludo*, cum *Divido, Rado,*
Sic *Claudo, Plaudo, Rodo*, cum *trudere Lædo.*
Dat *Vado si sum*, sed parcius: at bene [2] nata.

1 *Lusi lusum*, &c. 2 *Invado invasi, invasum.*

Quod [1] *De* componit, si ternæ jura reservat,
Et *Didit*, atque *Ditum* faciet; velut *Abdo, Recondo.*
Hinc tamen an [2] *Credo* ducat primordia, Lector
Viderit æquanimus: nobis sub judice lis sit.
Dic tamen *Abscondi*, quanvis *abscondidit* inquit
Interdum Plautus: per *Itum* formato supinum.

1 Composita ex *Do* tertiæ conjugationis dabent *Didi, ditum*; ut, *addo, addidi, additum: Reddo, reddidi, redditum*, &c. Quatuor sunt tantum primæ, sc. *Circumdo, Venundo, Pessundo, Satisdo*, de quibus in prima. 2 Quidam aiunt, *Credo* componi ex *Certum* & *Do*; alii ex *Cretum*; nonnulli ex *Cor*, & *Do.*

GO & GUO.

Go vel *Guo xi*, *ctum*que dabit; tamen ista supinis
N tollunt [2] *Pango, Stringo*, cum *Fingere*, [3] *Ringo.*
Egit Ago cum [4] prole sua formabit, & *actum.*

Sed

Sed *Dego*, *Satago* non admiſere ſupinum,
Ambigo nil format: *ſurrexi* flectito *Surgo*,
Surrectum: *Pergo* pariter formabitur iſti.
In *ſi ſum Spargo*, *Mergo*: *Tergo*que locabis.
Xi Clango, *Ningo* dat, & *Ango*, ſed abſque ſupinis.

1 *Affligo*, *afflixi*, *afflictum*: *Diſtinguo diſtinxi diſtinctum.* 2 *Pictum*, &c. 3 *Ringo* in uſu non eſt, ſed *Ringor.* 4 *Abigo abegi abactum.*

Tango facit *tetigi tactum*: *Frango* dato *fregi*,
Et *fractum*: *Pango*, *pegi*, *panxi*, *pepigi*que,
Et *pactum*: *pepigi* nonnulli de *Pago* formant.
Flecte *Lego*, *legi*, *lectum*; conformia [1] nata.
[2] *Diligo* dat *xi*, *ctum*; cui *Intelligo*, *Negligo* jungas.
Dat *Pungo pupugi punctum*: ſed *Vergo* ſupino,
Præteritoque caret. *Minxi mictum*que requirit
Meio; licet *Mingo* veteres dixere Latini.

1 *Colligo collegi collectum.* 2 *Dilexi dilectum.*

HO.

Flecte *Traho traxi tractum*: *Vexi Veho vectum.*

LO.

[1] *LO* dat præteritum per *Vi*: *Colo* flectito cultum:
Conſulo conſultum; queis jungas *Occulo*. [2] *Cello*
Vult *celſum*: *molitum*que *Molo*: ſed *Alo* geminabit
Altum dans, *alitum*que: prius tibi Syncopa format.
Nulla ſupina *Volo*, *Malo*, quibus addito *Nolo*.
Vello dabit *velli*, & *vulſi*, *vulſum*que: *fefelli*
Fallo petit, *falſum*: *Tollo* dat *ſuſtulit*, atque
Sublatum: *pepuli* cum *pulſum Pello* repoſcit.
Sallo facit *ſalli ſalſum*; ſic flectito *Pſallo*,
Præterito *pſalli*, nullo comitante ſupino.

1 *Molo*

1 *Molo molui*, &c. De ſupino regula generalis non eſt. 2 *Cello* ſimplex in uſu non eſt: ſed *Excello excellui excelſum*: ſunt tamen, qui putant *excellui* formari ab *Excelleo*; & *Excelſum* Nomen eſſe, non Participium: dicunt etiam *Celio* habere *celui*; hinc *Percello perculi*: alii vero aiunt *perculi* fieri per Syncopen pro *percellui*.

MO.

[1] *MO* per *Vi* dat, *Itum*: *Tremo* ponitur abſque ſupino.
Emi, emtum dat *Emo*: *preſſi preſſum Premo* formar.
In *Si*, *Tum O* mutat *Como*, cui jungito *Promo*,
Et *Sumo*, *Demo*: ſic, [2] *promſi* flectito, promtum.

1 *Fremo*, *fremui*. *fremitum*. 2 Alii *Prompſi promptum*; *Compſi*, *comptum*, &c. ſcribendum aiunt.

NO.

Flecte *Cano cecini*, *cantum*: [1] compoſtaque *Centum*,
Et *Cinui*. *Temno temſi* [2] *temtum*que ſupino,
Saltem compoſito: *Gigno genui* [3] *genitum*que
A *Geno* vult: *Pono poſui poſitum*que requirit.
Flecte *Lino livi*, cui conjungas quoque *lini*,
Atque *litum*: *Sperno ſprevi ſpretum*: dato *Sterno*
Stravi, cum *ſtratum*; *Cerno* vix dicito *crevi*,
Et *cretum*: [3] ſoboles recte formabit utrumque.
Flecte *Sino ſivi*, atque *ſitum* formato ſupinum.

1 *Præcino præcinui præcentum*: At Saluſt. *Cornicines occanuerunt*. 2 *Contemtum*. 3 *Diſcerno diſcrevi diſcretum*.

PO.

[1] *PO pſi ptum*que facit: *Rupi*, *ruptum* dabo *Rumpo*.
Dat *Strepo* præterito *ſtrepui*, *ſtrepitum*que ſupino.

1 *Carpo carpſi carptum*.

QUO,

QUO.

Flecte *Coquo coxi coctum: Linquo* dato *liqui,*
Lictum compositis; adsit pro teste *relictum.*

RO.

Quæro quæsivi, quæsitum dat; *Tero trivi,*
Et *tritum:* vult *Uro ussi,* ac *ustum:* dato *Verro*
Verri cum *versum: cursum* vult *Curro cucurri.*
Flecte *Gero gessi, gestum: Fero* dicito *latum,*
Atque *tuli, Furui*que *Furo,* licet absque supino.
Dat *sevi Sero,* deinde *satum.* Nata *Evit Itum*que
Semino cum signent, aut *Planto; Erui* sed & *Ertum*
Formabis, quoties eadem diversa notabunt.

1 Composita à *Sero* mutant præteritum, quoties mutant significationem; e. g. *Assero,* i. e. *prope sero, assevi, assitum;* ut *Assero,* i. e. *Affirmo, asserui assertum.*

SO.

SO format *Sivi Situm;* pro teste *Lacesso.*
Incesso [1] *incessi: Viso visi* dato, *visum.*
Depsuit à *Depso* formabit, *Itum*que supino.
Pinsuit, & *pinsi, pistum, pinsum* dato *Pinso.*

1 *Incessi* pro *incessii,* & hoc pro *incessivi:* sic & *Lacessi* pro *lacessivi* legas.

TO.

*Pecto xui, xi, ctum*que dabit: sic flectito *Necto.*
Dant solum *xi, xum Flecto, Pecto. Meto* poscit
Messui, & hinc *messum: Mitto misi* quoque *missum.*
Dic Verto verti, versum: Peto flecte *petivi,*
Atque *Itum: Sterto* dat *stertuit* absque supino.
Nil format [1] *Sisto* neutrum, nisi *sto* tibi supplet.
Activum *Stitit,* atque *statum* dare *Gellius* inquit.

1 *Sisto* neutrum mutuatur sua tempora à *Sto;* sc. *steti, steteram,* &c.

VO.

Vivo facit *vixi*, *victum*: *Solvo*que *solutum*,
Solvi; sic *Volvo*: *Calvo calvi*, absque supino.

XO.

Texuit à *Texo* formes, cui jungito *textum*.

Verba in O *purum desinentia.*

IO.

Xi ctum formabant olim[1] *Specio*, *Lacio*que:
Horum compositis *Exi* donabis, & *Ectum*.
Aspicio, *aspexi*, *aspectum* dabit; *Allicio*que
Allexi, *allectum*; *Electo licus* dat, *Itum*que.

1 *Specio* & *Lacio* obsoleta sunt.

Dic *Facio feci*, *factum*: *jeci Jacio* vult,
Et *jactum*: *Fodio fodi fossum*: *Fugio*que
Vult *fugi fugitum*: *Sapio sapui* dat, & *Ivi*;
Sed raro;[1] *Sapitum* nunquam legisse recordor.

1 Reperias *Sapitura* apud *Andream Duncanum* Grammaticum nostratem in Epistola ad Lectorem.

Ivi, *itum Cupio*: *Capio cepi* dato, *captum*:
Vult *Rapio rapui*, *raptum*: *Pario peperi*que
Et *partum paritum*que dabis: *Quatio* volo *quassi*,
Et *quassum*:[1] proles *Cussi*, *cussum*que tenebit.

1 *Excutio excussi*, *excussum*.

UO.

Vult[1] *Vo* semper *Vi*, dans *Vtum*: sed *Pluo pluvi*,
Atque *Fluo*: raro quod Personale videbis.

Vulque

Vultque *Ruo ruitum* : dat *Ultum* [1] proles tibi ſolum.
Reſpuo cum *Metuo*, ſimul à *Gruo* vel *Nuo* ducta,
Nulla ſupina dabunt, ut *Congruo* & *Ingruo* monſtrant,
Annuo cum [3] ſociis : *Nutum* ſimplex *Nuo* donat :
A *Luo* flecte *Luitum* vix flecte ſupino.
Vultque *Struo Xi*, *ctum* : *Fluo fluxi* dicito *fluxum*.

1 *Acuo acui acutum*. 2 *Diruo dirutum*. 3 *Imuo*, *Renuo*, &c.

Quarta Conjugatio.

IVI præterito dabit, *Itum* quarta ſupino ;
Ut, *Scio* vult *ſcivi ſcitum* : ſic cætera formes.

Exceptiones.

Vult [1] *Amicis* per *Vi*, per *Xi* quoque format, & *Ictum* :
Singultit vult *ſingultum* ; *Sepelire ſepultum*.
Veneo dat *venum* : *Venio veni* dato *ventum*.

1 *Amicio amicui* vel *amixi amictum*.

Vincio dat *vinxi*, *vinctum*, cui *Sancio* jungas.
Hâurio vult *hauſi hauſtum*, ac *hauſum* : *Sepio ſepſi*,
Et *ſeptum* : [1] *Salio ſalui ſaltum* dato ; proli
Sultum : ſed *Salio*, ſi *Condio* ſignificarit,
A *ſale* deductum, formatur in *Ivit* & *Itum*.

1 *Salio*, i. e. *Condio*, vel *ſale aſperge*, *ſalivi ſalitum* tantum format ; at *Salio*, i. e. *tripudio*, *ſalui*, *ſaltum*, vel *ſalivi ſaltum*.

Sentio dat *ſenſi ſenſum* : vult *Raucio rauſi*,
Et *rauſum* raro : *fulſi* dato *Fulcio fultum*.
Farcio dic *farſi fartum* ; ſic *Sarcio ſarſi*
Et *ſartum* : [1] *campſi campſum* ſibi *Cambio* poſcit.

1 *Campſi campſum* exoluerunt.

A *Pario* proles, [1] *Aperit* quod monſtrat abunde.

Præteritis *Erui* donant, *Ertum*que ſupinis.
At [2] *Reperit* per *Ri* variati, ut, *Comperit*, optat.

1 *Aperui apertum.* 2 *Reperio reperi. Comperio comperi.*

Præterito obſeqves [1] Meditantia Verba carere:
Parturio, Eſurio, cum *Nupturio* tamen aufer.

1 Ut, *Diſturio, Scripturio,* &c.

Annotatiuncula.

[1] *Haurio* non raro; ſic *Sancio, Cambio* jungas;
[2] Pluraque per normam communem flexa videbis.

1 *Haurio hausivi, hauritum.* 2 *Amicio amicivi,* &c.

Verba Compoſita.

COmpoſitum, ſimplexque modo flectuntur eodem;
Ut, *Docui Edoceo* monſtrat: ſed ſyllaba ſemper,
Quam ſimplex geminat, compoſto non geminatur;
Ut, *Pello pepuli* vult; *Appello appulit* effer.
Hanc retinent proles ex [1] *Do,* [2] *Sto,* [3] *Poſco*que [4] *Diſco*;
Ex [5] *Curro* pariter quædam; queis junge [6] *Repugno*;
[7] Principium ullius nunquam duplicabo ſupini.

1 *Addo addidi.* 2 *Adſto adſtiti,* de quibus jam. 3 *Depoſco depoposci.* 4 *Ediſco edidici.* 5 De compoſitis à *Curro* certa regula tradi nequit; *Decurro, Excurro, Præcurro, Procurro* vulgo geminant, reliqua raro. 6 Solum *Repungo* geminat; *repupugi.* 7 Nullum ſupinum geminatur: *Diſco didici diſcitum,* non *didiſcitum.*

A quoties mutatur in *I* per *E* pone ſupina:
Sic *Facio efficio,* hinc *effectum* rite docebit.
Aſt [1] *Ago,* [2] *Frango,* [3] *Cado,* [4] *Placeo,* cum [5] *Pangere* [6] *Tango*;
Sic [7] *Habeo* tollas, [8] *Sapio,* [9] *Salio,* [10] *Statuo*que.

1 *Adigo adactum.* 2 *Effringo effractum.* 3 *Occido occaſum.* 4 *Diſpli-*

cio

ceo displicitum. 5 *Compingo compactum.* 6 *Contingo contactum.* 7 *Inhibeo inhibitum.* 8 *Despio despitum.* 9 *Insilio insultum.* 10 *Instituo institutum.*

Præteritis quæcunque carent, spoliabo supinis.

1 *Glisco* caret præterito, ergo & supino.

Verba in OR.

PRæteritum formans activo fingito vocem
De *moneo monui monitum* fiat *Monitus sum.*
Dic *Vereor*[1] *Vereo*, formabis & inde supinum.

1 Finge *Vereo verui veritum* secundum generalem regulam secundæ conjugationis; & hinc *Veritus sum*: It. in prima *Abominor* fingatur *Abomino abominavi abominatum*; hinc *abominatus sum.* Et in tertia *Fungor* fingatur *Fungo*, quod secundum regulam Verborum in *GO* haberet *Funxi functum*; hinc *functus sum.* Postremo in quarta *Potior* habet *potitus sum*, quia *Potio* haberet *potui potitum* secundum regulam. In prima Conjugatione nulla est exceptio.

EXCEPTIONES.

In Secunda Conjugatione

Dic *Fateor*[1] *fassus*: *confessus confiteor*que.
Vult *Reor* usque *ratus*: *Misereri* flecte *misertus.*

1 Secundum generalem regulam effer *fatitus*; quia *Fateo* formaret *Fatui fatitum*: Idem de reliquis censendum.

In Tertia Conjugatione.

Vult *Labor lapsus*; *Nanciscor nactus* habebit,
Oblitusque Obliviscor; *Gradior* dato *gressus*,
Et *quæstus Queror*, atque *Fruor fructus fruitusque*;
Dic *Patior passus*; *perpessus Perpetior* vult;
Et *Nitor nisus, nixusve*; *Sequor*que[1] *secutus*:

Utor in *usus* abit; formes *Loquor* usque *locutus*;
[1] *Expergiſci experrectus*: *pactuſque paciſcor*:
Ulciſcor formes *Ultus*; *Feſſuſque Fatiſcor*.
[2] *Commi*-que-*niſcor* erit *commentus*; ſic *adipiſcor*
Format *adeptus*; huic *Proficiſcor* junge *profectus*;
Aptus apiſcor avet; *Naſcor natus* dato [3] *naſci*-
Turus ubique leges; *Morior* ſic *mortuus* apte
In *moriturus* abit; ternæ eſt [4] *Orior*, ſed *oriri*
[5] Infinitus habet dans *ortus*, & hinc *orſurus*.

1 Pro *Expergiſcor*. 2 Pro *Comminiſcor*. metri gratia. 3 Metri gratia *Naſciturus* dividitur; nequit enim ſine errato aliter fieri. 4 *Orior Oreris* tertiæ; vel *oriris* quartæ Conjugationis; ſed Infinitivus *oriri* ſolum in quarta. 5 vel *Infinitivus*.

In quarta Conjugatione.

Metior agnoſcit [1] *menſus*; nunc *Ordior orſus*,
Et nunc *orditus* profert: *Aſſentior* autem
Aſſenſus vult; *Experior*que *expertus* habebit.
Opperior facit *oppertus*; Plautoque [2] *Peritus*.

1 Reperias etiam *Metitus*. 2 pro *Operitus*.

DEFECTIVA.

PRæterito careant *Fio*, *Fido*, [1] *Soleo*que,
Mæreo conjungas; ſic *Audeo*, *Gaudeo*: quæ ſic
Sunt ſupplenda, *Fui factus*, *fiſus*, *ſolituſque*,
Mœſtus, ſic *Auſus*; quibus addas rite *gaviſus*.

1 Apud Saluſt. reperias, *ſolui*.

Nil formant *Medeor*, *Liquor*, *Veſcor*, *Reminiſcor*.
Præverter, *Ringor*, *Divertor*, *Diffiteor*que.
Aſt aliunde petunt; ſic dices *ſum medicatus*.
Marte tuo facile eſt nunc cætera fingere poſſe.

Hæc

Hæc Verba ſupplentur voce aliqua Synonyma, i. e. idem ſignificante; e. g. *Medeor medicatus ſum* in præterito à *Medicor*. *Liquor licui*, vel *liquidus ſum*; *Veſcor edi*; *Reminiſcor recordatus ſum*.

Hæc tria Verba, *Odi*, nec non [1] *Novi*, [2] *Memini*que
Præteritum ſignant, & præſens præteritiva
Sub voce, ut, *Novi*, quo ſignificabitur apte
Tum *Scio*, tum *ſcivi*: queis [3] *Cœpi* jungiec aiunt:
Attamen hoc præſens tempus non denotat unquam.

1 Reperias interdum *Noſco*; *Noſce teipſum*. 2 *Memento* & *mementote* in Imperativo uſurpantur. 3 *Cœpi* nunquam idem ſignificat, quod *Incipio*.

1 *Dor*, *Furo*, *For*, *Der*, 2 *Fer*, vix unquam ſuſcipit uſus.
Si numerare velis, poterunt his [3] millia jungi.

1 Hæc raro in Verbis ſimplicibus reperias; in compoſitis videas; *Addor*, &c. 2 *Fer* eſt à *For faris*, *fare*, non à *Fero*. 3 Innumera ſunt Verba, quæ hoc, aut illo tempore, vel perſona ſaltem, deſtituuntur: e. g. *Scio* non format *Sci* in Imperativo; latine non fonaret.

Summa reliquorum.

Indic. { Præſ. *Aio, ais, ait, aiunt.*
Imp. *Aiebam, bas, bat, bamus, batis, bant.*
Perf. *Aiſti, aiſtis.*

Subjunc. Præſ. *Aias, aiat, aiamus, aiatis, aiant.*

Indic. { Præſ. *Inquam*, vel *Inquio, quis, quit, quimus, quitis, quiunt.*
Imp. *Inquiebat, inquiebant.*
Perf. *Inquiſti.*
Fut. *Inquies, inquiet.*

Imperat. Præſ. *Inque, inquito.*

Edo ſequentia à *Sum* mutuatur.

Indic. Præſ. *Es, eſt, eſtis.*
Subjunct. Imp. *Eſſem, eſſes, eſſet, eſſemus, eſſetis, eſſent.*
Imperat. Præſ. *Es, eſto; eſte, eſtote.*
Infin. Præſ. *Eſſe.*

Pariter in Compositis *Comedo, comes, comesti*, &c.

Apage, apagete; i. e. abduc, abducite.
Ave, avete. aveto, avetote; i. e. salve, salvete.
Ausim, ausis, ausit, ausint; i. e. audeam, &c.
Cedo, cedite; i. e. dic, vel da; dicite, vel date.
Faxo, vel *faxim, faxis, faxit, faxint*; i. e. faciam, &c.
Forem, res, ret, remus, retis, rent; i. e. essem, &c.
Fore; i. e. futurum esse.
Ovat, ovans; i. e. triumphat, triumphans.
Quæso, quæsumus; i. e. oro, oramus.

Impersonalia Defectivis annumeranda.

Evenit, & *Præstat*, *Restat* que, *Vacat* que, *Licet* que, *Sufficit*, & *Constat*, simul *Expedit*, & *Liquet*, atque *Stat*, *Libet*, atque [1] *Placet*, cum *Convenit*, *Accidit* addas; *Pœnitet*, atque *Piget*, *Tædet*, *Pudet*, *Attinet*, illis Junge *Decet*, *Miseret*, *Juvat*, & *Delectat*, *Oportet*, *Pertinet*, & *Spectat*. Poterunt his plura notari.

1 Vel *Lubet*. 2 Diligenter notandum pleraque ex hisce Verbis personalia fieri, cum præponatur Nominativus; ut, *Ne Jupiter quidem placet omnibus*.

Verba (ut loquuntur) *exceptæ actionis.*

Fulminat, atque *Tonat*, *Ningit*, *Pluit*, atque *Coruscat*, *Vernat*, & *Æstivat*, *Gelat*, *Autumnat* que, *Hyemat* que, *Hybernat*, quandoque *Tonitruat*, atque *Pruinat*, *Grandinat* & *Rorat*, *Noctescit*, deinde *Diescit*, *Lucescit* jungas; nec non conformia cuncta.

1 *Vesperascit, Advesperascit, Crepusculascit, Diluculat, Dilucula scit. Auroras, Lucet, Dilucescit*, &c. Vocantur hæc Verba exceptæ seu exemtæ actionis, quoniam eorum actio in nostra potestate non est, sed soli *DEO*, seu Naturæ convenit.

ABUN-

ABUNDANTIA.

VErbum, quod varie format ſua tempora, abundat: Ut, *Pungo pupugi* vel *punxi*; de quibus ante Rettulimus paſſim: jungas [1] *Titubo*, [2] *Placeo*que *Prandeo*, cum *Cæno*, *Juro*, *Nubo*, *Miſeret*que, Et *Piget*, & *Tædet*, *Pudet*, & *Libet*, & *Licet* addas, Cum [3] multis aliis: quæ ſic formare licebit; *Prandeo* dic *prandi*, vel *pranſus ſum*: *Licet* optat *Eſt licitum*, vel dic *Licuit*: ſic [4] cætera profer.

1 *Titubavi* vel *titubatus ſum*. 2 *Placuit*, vel *placitum eſt*. 3 *Aſſentio*, vel *aſſentior*, *Impertio* vel *impertior*, *Lacrymo* vel *lacrymor*, *Reverto* vel *revertor*, &c. 4 *Cæno cænavi*, vel *cænatus ſum*: *Juro juravi*, vel *juratus ſum*: *Nubo nupſi*, vel *nupta ſum*: *Miſeret miſeruit*, vel *miſertum eſt*, &c.

Notandum, Abundantibus non eſſe annumeranda, quæ diverſas habent ſignificationes; e. g. *Lego legas* primæ, & *legis* tertiæ abundans non eſt; utpote diverſa ſignificet.

ANNOTATIONES IN VERBA.

Prima Verbi Diviſio.

Verbum eſt { Perſonale; / Impersonale; } ut, { *Amo.* / *Placet.* }

Subdiviſiones.

Perſonale fit in { *O*; / *R*; / *M*; } ut, { *Lego.* / *Loquor.* / *Sum.* }

Verbum in *O* { Activum; / Paſſivum; / Neutrum; } ut, { *Doceo.* / *Fio.* / *Valeo.* }

Verbum

Verbum in R { Passivum; Deponens; Commune; } ut, { Doceor. Loquor. Osculor. }

De Verbo.

Verbum est pars orationis, quæ per Modos, Tempora & Personas flectitur.

De Personali.

Personale est, quod per omnes personas flectitur; ut, *Doceo, doces, docet, docemus*, &c.

De Impersonali.

Impersonale est, quod per unicam tantum personam variatur; ut, *Oportet, oportebat*, &c.

De Activo in O.

Activum est, quod passivam formam admittere potest; ut, *Doceo, doceor.*

De Passivo in O.

Pauca tantum sunt passiva in *O*; sc. *Fio, Veneo, Liceo, Exulo*, & *Nubo*. *Fio* quidem passivum est, pro *Facior:* de reliquis dubitatur.

De Neutro in O.

Neutrum est, quod passivam formam non admittit; ut, *Valeo valeor* non format.

Notandum, Verbum neutrum admittere tertiam personam singularem sub passiva forma; ut, *Curritur, currebatur, cursum est*, vel *fuit*, &c.

De Passivo.

Passivum est, quod activam formam admittit; ut, *Doceor, docebar.*

De Deponente.

Deponens est, quod activam formam non admittit, & est vel activæ significationis; ut, *Loquor:* vel neutræ; ut, *Philosopbor.*

De

De Communi.

Commune est, quod activam formam non admittit, & est vel activæ vel passivæ significationis; ut, *Osculor*, i. e. *do*, vel *recipio osculum*. Hujusmodi sunt *Adulor*, *Amplector*, *Hortor*, *Solor*, *Oblivisco*, cum multis aliis.

Diligenter notetur Verba tam Deponentia, quam Communia, formare Participia tanquam fierent in *O*: e. g. *Proficiscor proficiscens, profecturus*; *Hortor hortans, hortaturus*, & in supino *hortatum*. Nonnulla quidem passivam formam sequuntur; ut, *Sequendus, Hortandus, Amplectendus*, &c. Cum sc. passive sumuntur.

De Verbis in M desinentibus.

Unicum Verbum *Sum* cum Compositis in *M* desinit; ut, *Absum, Adsum*. Solet hoc Verbum vulgo vocari *Substantivum*, quia aliis substat & inservit; ut, *Amor amatus sum* vel *fui*: *Amor* enim proprio caret præterito; & Verbo *Sum* suppletur.

Secunda Verbi Divisio.

Verbum est { Primitivum; / Derivativum; } ut, { *Horreo*, / *Horrisco*.

Sex Derivativorum forma.

Denominativum;	ut,	*Lignor*,	*Paro lignum.*
Imitativum;		*Patrisso*,	*Imitor patrem.*
Inceptivum;		*Calesco*,	*Incipio calere.*
Frequentativum;		*Clamito*,	*Clamo sæpe.*
Desiderativum;		*Dicturio*,	*Cupio dicere.*
Diminutivum;		*Sorbillo*,	*Sorbeo parum.*

i.e.

De Denominativo.

Denominativum dicitur, quod à Nomine venit; ut, *Aquor*, i. e. *o aquam*.

De Imitativo.

Imitativum est, quod imitationem significat; ut, *Græcisso*, vel *græcor*, i. e. *Græcos imitor*.

De

De Incœptivo.

Incœptivum (quod & Inchoativum dicitur) formatur à secunda persona præsentis Indicativi addendo syllabam *CO*; ut, *Ardeo ardes*; hinc *Ardesco*; i. e. *incipio ardere: Tremo tremis, tremisco*; i. e. *incipio tremere.* Atque hinc vides, cur Incœptivum vocetur, quia sc. actionem incipit. Solum *Hio* habet *Hisco* contractum pro *Hiasco.*

De Frequentativo.

Frequentativum (quod & Iterativum dicitur) est, quod frequentem actionem denotat; ut, *Cursito*; i. e. *sæpe curro*, vel *huc, illucque discurro.*

Formatur à supino in *U* mutando *U* in *O*; ut, *Dico dictu*, inde *Dicto.* Si vero supinum fiat in *ATU*, converte *ATU* in *ITO*; ut, *Clamo clamatu*, hinc *clamito.*

Quædam hunc modum non servant; ut, *Ago, actu*; non tamen secundum regulam *Acto*, sed *Agito*: Sic *No natu*; inde non *Nito*, sed *Nato.* Quidam hæc formant à secunda persona præsentis Indicativi delendo *S*; ut, *Ago agis, agito*: *Fugio fugis, fugito*: *Quæro quæris, quærito.* Et si in *R* definunt, fingunt vocem activam; ut, *Loquor, loquo, loquis*, hinc *loquitor.* Ubi notandum, si Primitivum fiat in *OR*, fiat etiam Derivativum; ut, *Minor, minatu*, hinc *minitor.*

Interdum ex Frequentativo aliud fit magis frequentativum; ut, à *Dico dictu*, fit *dicto*; & ab illius supino *dictatu* venit *dictito.*

Omnia Frequentativa sunt primæ Conjugationis. Quidam excipiunt *Nexo* & *Viso*, quæ num frequentativa sint necne, Lectoris esto judicium.

De Frequentativo seu Iterativo metrice descripto.

Sic Iterativum formes *ITO* fiat ab *ATU.*
U per *O* mutabunt bene cætera Verba supini.
Si fuit *OR* manet *OR*; veluti *Tutor*, *Minitor*que.
Prætereunt legem, *Nato*, *Quarito*, *Fundito*, *Scitor*, *Sciscitor*, atque *Agito*, *Sector*, *Loquitor*, *Pavito*que,
Cum paucis aliis. Sunt cuncta frequentia primæ.

De

De Desiderativo.

Desiderativum, seu Meditativum formatur à supino in *U* addendo *Rio*; ut, *Dico dictu*, hinc *Dicturio*: vocatur autem Desiderativum, quia desiderium denotat; ut, *Esurio*, i. e. cupio edere.

De Diminutivo.

Diminutivum fit in *Illo*; ut, *Cantillo*, *Sorbillo*: vocatur Diminutivum; quia Primitivi diminuit significationem; ut, *Cantillo*, i. e. *parum*, seu *tenui voce canto*. Diligenter tamen notandum omnia hæc Verba non raro eandem habere significationem cum primitivis; ita ut *Clamito* idem significet quod *Clamo*; *Conticesco* idem quod *Conticeo*. *Edo* tamen cum *Esurio* idem significare non potest.

Tertia Verbi Divisio.

Verbum est { Simplex; / Compositum; } ut, { *Duco.* / *Adduco.* }

De Simplice.

Simplex est, quod ex duabus vocibus non componitur, ut, *Lego*, &c.

De Composito.

Compositum est, quod ex duabus vocibus constat; ut, *Perlego*, ex *Per*, & *Lego*.

De modo Componendi.

Componendi modus est incertus: Interdum utraque vox manet integra; ut, *Abeo*, ex *Ab.* & *Eo.* Interdum literæ mutantur, adduntur, vel demuntur; ut, *Corripio*, ex *Con*, & *Rapio*: *Redeo*, ex *Re* & *Eo*: *Coeo*, ex *Con.* & *Eo.*

Quarta Verbi Divisio.

Verbum est { Abundans; / Deficiens; } ut, { *Pungo pupugi* vel *punxi.* / *Glisco*; deest præteritum. }

De

De Abundante.

Abundans est, quod variis modis personam aut tempus aliquod format; ut, *Lavo lavas* primæ, & *lavis* tertiæ Conjugationis; licet rarius in tertia reperiatur; quod in aliis observandum.

Quædam Verba diversæ Conjugationis in eadem significatione.

1.	2.
Denso,	* *Denseo.*
1.	3.
Lavo,	* *Lavo.*
Nexo	*Nexo*
Sono,	* *Sono.*
2.	3
Excelleo,	* *Excello.*
Ferveo,	* *Fervo.*
Fulgeo,	* *Fulgo.*
Oleo,	* *Olo.*
Sorbeo.	* *Sorbo.*

Strideo,	* *Strido.*
Tergeo,	*Tergo.*
Tueor,	* *Tuor.*
2	4.
Cieo,	* *Cio.*
3	4.
Fodio,	* *Fodio.*
Lino,	* *Linio.*
Sallo,	* *Sallio.*
Morior,	* *Morior.*
Orior,	*Orior.*
* *Potior,*	*Potior.*

Annotatiuncula.

Verba, quibus stellulæ præfiguntur, minus sunt usitata; quædam, nisi forte in nonnullis personis, prorsus exoleta; ut, *Olo,* & *Sono* tertiæ; & *Morior* quartæ. *Orior* in Infinitivo quartæ, in Indicativo sæpius tertiæ. *Potior* in Infinitivo quartæ, in Indicativo tertiæ vel quartæ; licet apud Poetas *Potitur* sæpius tertiæ.

Quædam Verba diversæ Conjugationis sub diversa significatione.

Appello, Colo, Dico, Fundo, Lego, Mando, Pando, sunt primæ & tertiæ Conjugationis.

Idem

Idem præteritum à variis Verbis ejusdem significationis.

Constiti	ab	*Consto,*	vel	*Consisto.*
Exstiti		*Exto,*		*Exisio.*
Institi		*Insto,*		*Insisto.*

Idem præteritum à variis Verbis diversæ significationis.

Acui	ab	*Aceo,*	vel	*Acuo.*
Crevi		*Cresco*		*Cerno.*
Frixi		*Frigeo,*		*Frigo.*
Luxi		*Luceo,*		*Lugeo.*
Mulsi		*Mulceo*		*Mulgeo.*
Pavi		*Paveo,*		*Pasco.*
Fulsi		*Fulgeo,*		*Fulcio.*

Idem supinum à variis Verbis diversæ significationis.

Cretum	*Cresco,*	vel	*Cerno.*
Mansum	*Maneo,*		*Mando.*
Passum	*Pando,*		*Patior.*
Successum	*Succenseo,*		*Succendo,*
Tentum	*Teneo,*		*Tendo.*
Victum	*Vinco,*		*Vivo.*

De Deficiente.

Deficiens est, quod Persona, Tempore, aut Modo caret; ut, *Odi*, cui deest Præsens, & omnia inde formanda, quoad aliarum vocem, non significationem; cum *Odi* idem significet, quod *Habeo & habui odio*; ut jam dictum.

Quinta Verbi Divisio.

Verbum est	*Regulare*;	ut,	*Amo, avi, atum.*
	Irregulare;		*Do, dedi, datum.*

De Regulari.

Regulare est, quod flectitur secundum aliquam regulam generalem, ut videre est in *Amo*.

De Irregulari.

Irregulare est, quod à generali aliqua regula deflectit; ut cernere est in *Do*.

De Participio.

Participium est Adjectivum à Verbo derivatum, quod præter significationem tempus etiam denotat; ut, *Amans* præsens, *Amatus* præteritum, *Amaturus* tempus futurum indicat.

Vulgo octo statuuntur terminationes Participii; sc. *ANS, ENS, TUS, SUS, XUS, UUS, RUS*, & *DUS*; ut, *Amans, Docens, Lectus, Visus, Nexus, Mortuus, Lecturus, Legendus.*

Tria sunt Participii tempora, *Præsens*, *Præteritum*, & *Futurum*.

Finita in *NS* sunt Præsentis: *TUS, SUS, XUS*, & *UUS* Præteriti; *RUS* & *DUS* Futuri.

Participium transit in Nomen.

Primo, cum tempus amittit; ut, *Sapiens, Sponsa:* cum scilicet substantive sumuntur.

Secundo, cum mutatur Regimen; ut, *Amans pecuniæ; Patiens frigoris*, &c. Cum enim Participia sunt, dicimus, *Amans pecuniam, patiens frigus.*

Tertio, cum aliter componitur quam Verbum, unde venit; ut, *Illæsus*: non enim dicimus *Iliædo*, sed *Illido*.

Quarto, cum comparatur; ut, *Optatus, optatior, optatissimus*, &c. Verum num sit Participium, an Nomen, lectoris esto judicium.

Decem Figuræ Dictionis.

[1] *Prosthesis* apponit capiti; sed [2] *Aphæresis* aufert.
[3] *Syncope* de medio tollit; sed [4] *Epenthesis* addit.
Abstrahit [5] *Apocope* fini; sed dat [6] *Paragoge*.

Con-

Constringit [7] *Crasis*; distracta [8] *Diaresis* effert.
[9] *Metathesis* sedem commutat literularum;
Ipsas [10] *Antithesis*. Cunctarum exempla sequuntur.

1 *Gnatus* pro *Natus*. 2 *Pone* pro *Depone*. 3 *Dixti* pro *Dixisti*; *Nosti* pro *Novisti*; *Petiit* pro *Petivit*; cum innumeris ejusmodi. 4 *Repperit* pro *Reperit*. 5. *Negoti* pro *Negotii*. Sic vulgo *Dic*, *Duc*, *Fac*, *Fer*; pro *Dice*, *Duce*, *Face*, *Fere*. Item in compositis, *Prædic*, *Adduc*, *Benefac*, *Perfer*, &c. Excipe in *Facio*, ubi *A* in *I* mutatur; ut, *Effice*. non *Effic*, &c. 6 *Dicier* pro *Dici*. 7 *Phaton* pro *Phaëton*. 8 *Syliæ* pro *Sylvæ*. 9 *Flandro* pro *Flander*. 10 *Faciundum* pro *Faciendum*.

SECUNDA PARS
GRAMMATICÆ.

Quatuor sunt *Grammaticæ* partes.

Prima de vocibus sigillatim agit; & vulgo *Etymologia* nuncupatur.

Secunda voces in oratione construit; & *Syntaxis* appellatur.

Tertia syllabarum quantitatem docet; & *Prosodia* vocatur.

Quarta (quæ proprie prima est) legitimam scribendi rationem tradit; & *Orthographia* dicitur.

Omnis vocum constructio est *Concordantia*, vel *Regimen*, id est, voces vel concordant aliæ cum aliis, vel reguntur aliæ ab aliis.

Concordantia est quintuplex.
- Adjectivi cum Substantivo.
- Substantivi cum Substantivo.
- Relativi cum Antecedente.
- Verbi cum Nominativo.
- Responsivi cum Interrogativo.

De Concordantia Adjectivi cum Substantivo.

Adjectivum concordat cum Substantivo in Genere, Numero, & Casu.

Vir bonus: Modesta femina: Ferum animal: Quis vir; qua mulier; quod animal.

ANNOT.

1. Si unicum Adjectivum ponatur cum duobus Substantivis diversi generis, aut numeri, convenit cum utrolibet; ut, *Paupertas visa est mihi onus*; vel, *visum est mihi onus*, Ter. *Non omnis error stultitia est dicenda*; vel, *dicenda*. Si tamen alterum substantivum sit nomen proprium, aut natura dignius, cum eo vulgo concordabit Adjectivum; ut, *Antonius à Cicerone appellatus est pestis reipublicæ. Ne dicas, Antonius appellata est pestis. Semiramis puer creditus est*: cave dicas, *Puer creditus est*. Interdum tamen aliter reperies; ut, *Universa gens Veneti appellati*; aut, *appellata*. Si vero de altero Substantivo præcipuè sit sermo, cum eo concordabit Adjectivum; licet naturâ sit minus dignum; ut, *Porcus, fœmina natus*: cave dicas, *Natæ*; quamvis Fœmina sit præstantior porco; quia de porco præcipuè hic agitur.

2. Duo, vel plura Substantiva copulata conjunctione *Et, ac, atq;* &c. aut Prælositione *Cum*, habent vim pluralem; ut, *Rex & Regina orati sunt. Juno cum Minerva tristes redeunt.*

De dignitate generum.

1. Masculinum dignius est fœmineo, fœminium neutro in rebus animatis, seu viventibus; in inanimatis vero neutrum genus dignissimum habetur; ut, *Petrus & uxor sunt mortui. Lex & scortum sunt impudica. Calamus & scalpellum*, vel, *penna & atramentum sunt necessaria*: dicas etiam, *necessarii*, aut, *necessaria*, ut apud Luc. *Leges & plebiscita condita.*

2. Adjectivum non raro in neutro reperias, quanvis neutrum ex Substantivis sit; ut, *Labor & voluptas sunt dissimilima*, Liv.

De

De Concordantia Subſtantivi cum Subſtantivo.

Duo, vel plura ſubſtantiva ad eandem rem pertinentia conveniunt in eodem caſu.

Carolus Rex. Urbs Edinburgum. Urbs Athena. Hinc vides non neceſſario convenire in Genere aut Numero.

Reperies etiam, *Urbs Edinburgi: Urbs Antiochia*, Cic. Hinc vulgo, *Eſt mihi nomen Jacobus*, vel *Jacobi*; vel etiam, *Jacobo.*

Appendix.

1. COncordantia Adjectivi cum Subſtantivo aut plurium Subſtantivorum inter ſe vulgo ſit intercedente Verbo; ut, *Terra dicitur immobilis. Pater rediit iratus. Rex appellatur Carolus. Cæſar cupit eſſe Imperator, Multi malunt haberi, quam eſſe boni. Petrus facit invitus; facit libens; jacet ſupinus; dormit ſecurus*, &c.

2. Diligenter notandum eundem caſum Verbum ſubſequi, qui præceſſerit; *Deus eſt juſtus; Dico Deum eſſe juſtum; Novi Patrem rediiſſe iratum; Licet tibi evadere doctò*, &c. dicas etiam, *Licet tibi evadere doctum, Divitem*, &c. ſed hic ſupprimi aiunt, *Te*; ſc. *Licet tibi te evadere doctum.*

De Concordantia Relativi cum Antecedente.

Relativum convenit cum Antecedente in Genere, Numero & Perſona.

Vir ſapit qui pauca loquitur. Laudanda mulier, quæ modeſtè ſe gerit. Nullum eſt animal, quod leonem ſuperet. Culpandus ſum ego, qui ſemper ludo; laudandus es tu, qui multum ſtudes.

ANNOT.

1. Relativum interdum ejuſdem, interdum diverſi eſt caſus cum Antecedente; prout ſcilicet eſt natura Verbi, unde regitur; ut *Ecce liber, quem amiſiſti. Monſtra mihi librum, quem emiſti: An reperiſti librum, quo carebas?*

2. Si Relativum ponatur inter duo Subſtantiva diverſi generis, conveniat cum utrolibet; ut, *Eſt animal, quod vocamus hominem*; vel, *quem vocamus hominem.*

3. Si tamen alterum ſit proprium, cum hoc ſæpius concordabit; ut, *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Dici etiam poteſt, *Qui Tullianum appellatur.* Item, *Eſt Stella, qui,* vel *quæ Phaëton dicitur.*

4. Si tota oratio ſit Antecedens, Relativum ponitur in neutro genere. ut, *Quod beatum iſti ducunt, uxorem nunquam habui*; Ter.

5. Interdum Antecedens una cum Relativo repetitur; quod Cæſari familiare eſt; *Diem dicunt, qua die omnes conveniant.* Hinc liquet hanc eſſe concordantiam Adjectivi cum ſubſtantivo: ſemper enim ſupprimitur Subſtantivum vel cum Antecedente, vel cum Relativo; ut apud Virg. *Urbem quam ſtatuo veſtra eſt*; nempe *Urbs, quam urbem ſtatuo veſtra eſt.*

Diverſus Relativi Situs.

Culter, quem habeo,	*tuus eſt.*	Vulgò.
Quem habeo cultrum,		Ornatè.
Culter, quem cultrum habeo,		Rarò.
Cultrum quem habeo,		Poëticè.

6. Aliæ etiam ſunt voces Relativi vim habentes; ut, *Qualis, Unde, Cur: Talis ſum, qualem me creavit Deus. Non habeo pecuniam, unde emam libros. Quid cauſæ eſt, cur nos tam raro viſitas?*

De Concordantia Verbi cum Nominativo.

Verbum convenit cum Nominativo in Numero & Perſona.

Ego lego. Tu ſcribis. Petrus ludit. Nos currimus. Vos ſtatis. Tempora labuntur.

ANNOT.

1. Hic tantum intelligitur Verbum perſonale; nam imperſonale nullum ante ſe caſum habet; ut, *Oportet me ſcribere.*

2. Hic etiam intelligitur ſolummodo Finitus, ſeu Finitivus modus, nempe Indicativus, Subjunctivus, & Imperativus: nam Infinitivus cum nullo caſu convenit; habet autem ante ſe caſum ſecundum naturam Verbi cui poſtponitur; ut, *Tu diceris eſſe juſtus. Licet tibi eſſe juſto. Novi te eſſe juſtum.*

3. Prima

3. Prima & ſecunda perſona ſemper ſupprimuntur; ut, *Gaudeo, quod vales. Gaudemus, quod valetis*: Hic ſupprimuntur *Ego, Tu, Nos* & *Vos*. Exprimuntur quidem propter perſonæ diſcriminationem, aut majorem emphaſin; ut, *Lude tu, ego interim ſtudebo. Cantando tu illum ſuperares?* Virg.

4. Vox *Homines* fere ſemper etiam ſupprimitur in hujuſmodi orationibus; *Ita aiunt. Sic ferunt, dicunt*, &c.

5. In his & ſimilibus, *Pluit, Ningit, Dieſcit, Nocteſcit*, ſupprimi aiunt, *Deus, Natura, Pluvia, Cœlum*, aut aliquid ejuſmodi. Apud Stat. *Saxa pluunt*. Liv. *Sanguine pluit*.

6. Idem hic notandum, quod in concordantia Adjectivi cum Subſtantivo; nempe, *Duo vel plura ſingularia copulata Conjunctione, aut Præpoſitione CUM, habere vim pluralem*; ut. *Rex & Regina ſunt Londini. Remo cum fratre Quirinus jura dabunt*, Virg.

7. Si Verbum ponatur cum duobus Nominativis diverſi numeri, nec ullâ copulâ conjunctis, concordat nunc cum hoc, nunc cum illo; ut, *Sanguis erant Lacrymæ*, Luc. *Omnia pontus erat*, Ovid. Interdum cum altero tantum concordare poteſt; ut, *Veſtes fuerunt lana*: cave, dicas; *Veſtes fuit lana*.

8. Sæpe Verbum habet aliquid loco Nominativi; ut, *Quod ſtudes, eſt tibi conducibile*: hic *Quod ſtudes* eſt Nominativus ante *Eſt*, & ſubſtantivum ad *Conducibile*. Item, *Benefacere omnibus eſt laude dignum*: hic *Benefacere omnibus* eſt Nominativus ante *Eſt*, & ſubſtantivum ad *Dignum*. Item, *Satis pecuniæ reſtat*: hic Adverbium cum Genitivo ſupplet locum Nominativi; ni forte dicas *Satis* hic eſſe Nomen.

Annotatiuncula.

1. Si cum unico homine tibi eſt ſermo, noli uti plurali numero, quemadmodum fit in lingua vernacula: quoties tamen virum aliquem nobilem, aut honeſto loco natum, aut ullum alium, cui debes honorem, alloqueris, vitanda eſt ingrata iſta vocula *Tu*, ſaltem in initio congreſſus; quod fiet, ſi ſecundam perſonam in tertiam ſic convertas: pro, *Noſti domine*; dic, *Novit dominus*: pro *Parce domine*; dic, *Parcat dominus*: Sic, *Placeat Domino, Dominationi, Celſitudini, Majeſtati*, &c. prout eſt viri dignitas.

2. At de te ſolo, utrolibet numero utaris; & ſæpe pluralis modeſtiæ gratiâ uſurpatur. *Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva. Nos patriam fugimus,* Virg. Ecl. 1.

De perſonarum dignitate.

1. Prima perſona dignior eſt quam ſecunda; ſecunda quam tertia: vox igitur dignioris perſonæ concipit, ſeu attrahit ſibi vocem indignioris: vel, vox indignioris perſonæ ponitur in perſona cum digniore; ut, *Egò pauper lugeo: tu dives cantas: ego & tu ſumus æquales: tu & Petrus eſtis pares,*

2. Huc refer illud Virgilii; *Divellimur inde Iphitus & Pelias mecum.*

De Concordantia Reſponſivi cum Interrogativo.

Interrogativum & Reſponſivum concordant in Caſu.

Quis eſt?	Reſp.	*Pater.*
Cujus eſt hic liber?		*Patris.*
Cui dediſti librum?		*Patri.*
Ad quem pertinet liber?		*Ad Patrem.*
Quo cares?		*Libro.*

Debita Reſponſa.

Quid es?	Reſp.	*Homo.*
Quis es?		*Petrus.*
Cujus es?		*Chriſti.*
Cujas es?		*Scotus.*
Qualis es?		*Sapiens.*
Quantus es?		*Bipedalis.*
Quotus es?		*Primus.*
Quot habes libros?		*Decem.*
Quotum agis annum?		*Decimum.*
Quod habes nomen?		*Jacobus, bi, bum.*
Quo gaudes nomine?		*Jacobus, bi, bo.*
Quid agis?		*Scribo.*
Quid agitur?		*Scribitur.*
Interfuiſtine concioni?		*Interfui.*

ANNOT.

ANNOT.

1. *Habeo nomen Jacobus*; *Jacobus* eſt Accuſativi caſus, ſed indeclinabile.

2. Nulla proprie eſt concordantia inter Reſponſivum & Interrogativum: *Quem vidiſti?* Reſp. *Patrem.* hic *Patrem* non concordat cum *Quem*; ſed eſt Accuſativus poſt *Vidi*, quod neceſſario ſupprimitur. Atque hinc eſt, quod ſæpe in diverſo caſu reſpondeamus: ut, *Cujus intereſt?* Reſp. *Meâ*, *Tuâ*. *Quanti emiſti?* Reſp. *Aſſe*, &c. de quibus ſuo loco.

REGIMEN GENITIVI.

De Subſtantivis Genitivum regentibus.

Unum ſubſtantivum regit aliud rei diverſæ in Genitivo.

Domus patris: Liber fratris: Toga præceptoris.

ANNOT.

1. Adjectivum in neutro genere ſubſtantivatum regit etiam Genitivum; ut, *Quid cauſæ: Quid rei: Quid hominis: Quid libri: Multum laboris: Nihil loci: Acuta belli: Angusta viarum*, &c. idque elegantius; quam, *Quæ cauſa: quæ res: Quis homo: Nullus locus*, &c. præſertim, cum quid inſolens, aut minus vulgare ſignificare velimus.

2. Idem etiam dici poteſt de multis Adjectivis in Maſculino aut Fœminino ſubſtantivatis; ut, *Petrus eſt amicus patris: Mulier hæc* eſt *vicina matris. Amicus* hic & *vicina* fiunt Subſtantiva. At hic, *Eſto amico in omnes animo*; *Mulier hæc habitat nobis vicina*; Adjectiva ſunt.

3. Quodvis Subſtantivum regit Genitivum Pronominis primitivi; ut, *Amor tui. Deſiderium mei. Memoria veſtri. Cujus liber. Illius arma. Frater ipſius. Ejus cauſa*, &c.

4. Poſſeſſiva tamen in Genitivo non ponuntur; ut, *Amor tuus*, non, *Tui: Liber noſter*, non, *Noſtri*, &c.

Discrimen inter Amor tuus, & tui.

5. *Captus sum amore tui*; id est, *amore, quo ego te amo: Captus sum amore tuo*; *quo tu me amas. Amor tuus* est in te, *Amor tui* in me. Attamen, *Amor Romanorum* est vel quo Romani alios amant, vel, quo ab aliis amantur.

Annotatiuncula.

Substantivum concordans cum Pronomine possessivo interdum regit eleganter alterum Genitivum; ut, *Imperium tuum Apollinis*, Plaut. *Dico meâ unius operâ rempublicam esse liberatam*, Cic. *Solius enim meum peccatum corrigi non potest*, Id. *Tuum hominis simplicis pectus vidimus. Nostros vidisti flentis ocellos*, Ovid.

Quodvis Substantivum regit aliud Substantivum cum Adjectivo notæ aut discriminis in Genitivo vel Ablativo.

Petrus est nigri capilli, vel, *nigro capillo*; *acuti ingenii*, vel, *acuto ingenio. Servus spectatæ fidei. Juvenis summæ eruditionis, Adolescens perfrictæ frontis. Puella modesto vultu*, &c.

Potest & hoc Adjectivum convenire cum priore Substantivo; ut, *Petrus est niger capillo*; *acutus ingenio*, & interdum *ingenii. Felix ille animi*, Buchan.

ANNOT.

1. Apud Poëtas substantivum, quod ab altero regitur, in Accusativo ponitur; ut, *Petrus est niger capillos*; *truncatus brachium*; *vulneratus caput*, &c. *Gens addicta mentem erroribus impiis*, Buch. Ps. 19.

2. Hanc igitur orationem sic variare licet: *Petrus est acuto ingenio*, vel, *acuti ingenii: Petrus est acutus ingenio, ingenii, & ingenium.*

De Adjectivis Genitivum regentibus.

Adjectivum partitivum regit Genitivum pluralem ejusdem generis.

Quis hominum? Quæ mulierum? Quod animalium? Unus fratrum. Nulla sororum. Utra manuum? Hæc volucrum. Virgilius optimus Poëtarum. Cicero eloquentissimus Oratorum.

ANNOT.

ANNOT.

1. Interdum Partitivum genere diſſentit à Genitivo; ut, *Infimum Cœlorum lunam continet. Cœlorum* Maſculinum eſt, & *Infimum* neutrum. Verum hinc videas Genitivum non regi ab Adjectivo, ſed à Subſtantivo ſuppreſſo; nempe, *Infimum Cœlum Cœlorum lunam continet.* Sic, *Virgilius optimus poëta poëtarum.* Item, *Optimus Plebis*; ſcilicet, *Vir*, aut, *Civis*: & *Optima plebis*; ſcilicet, *Mulier. Leo eſt animalium fortiſſimum*; nempe, *Animal.* At ſi reſpicit Subſtantivum præcedens, concordat cum eo; ut, *Leo eſt fortiſſimus animalium: Roſa eſt pulcherrima florum. Quid agis, dulciſſime rerum?* ſi virum intelligas: *Quid agis, dulciſſima rerum?* ſi mulierem.

2. Aliter ſic efferunt; *Virgilius optimus poëtarum*; vel, *optimus inter poëtas*, vel, *ex* aut *de poëtis.*

Diſcrimen inter Comparativum & Superlativum gradum partitive ſumptum; item de paucis aliis vocibus.

1. Comparativus de duabus, Superlativus de pluribus rebus dicitur; ut, *Dextra eſt fortior manuum. Hector fuit fortiſſimus Trojanorum.* Sic, *Petrus eſt major natu*; ſi de Petro & Paulo tantum loquaris. *Petrus eſt maximus natu*; ſi de Petro, Paulo, & Joanne ſit ſermo.

2. *Uter* de duobus interrogat, *Quis* de pluribus; *Utra manuum eſt fortior? Quis digitorum eſt longiſſimus?*

3. *Alter* & *Neuter* de duobus; *Alius, Aliquis, Nullus* de pluribus dicuntur; *Alter pedum. Neuter oculorum. Nullus digitorum*, &c.

4. Poſtremo notandum, comparationem debere ſemper fieri inter res ejuſdem naturæ; ideoque non dicendum; *Leo eſt fortiſſimus hominum*; quia, Leo eſt diverſæ naturæ ab homine: niſi ſint etiam ejuſdem generis, & nationis, ſeu gentis, non debet fieri comparatio; ut, *Hector fuit fortiſſimus Græcorum*; *Vallas fuit fortiſſimus Anglorum*, dicendum non eſt: quia Hector non fuit Græcus, nec Vallas Anglus. Verum hæc Adjectiva partitiva hic non ſunt: Leo enim non eſt pars hominum; nec Hector pars Græcorum; nec Vallas Anglorum. Dicendum igitur, *Vallas fuit fortior quovis Anglo:* de quo in Regimine Ablativi.

Adjectivum

Adjectivum verbale activè significans, regit Genitivum.

Amans vini. Patiens frigoris. Doctus Grammaticæ. Providus malorum. Nescia veri. Tenax propositi. Tempus edax rerum. Mens præsaga mali. Cometa est belli significativus. &c.

Discrimen inter Amans vini, *&* vinum, *&c.*

Amans vini, id est, *amator vini*, *Amans vinum*; id est, *qui amat nunc vinum:* prius habitum, posterius actum solummodo significat. Idem dicendum de *Patiens frigoris* & *frigus. Doctus Grammaticæ*, qui Grammaticam callet, & intelligit; *Doctus Grammaticam*, qui eam didicit, licet fortè nihil jam in ea norit. Priora *Nomina*, posteriora *Participia* appellantur.

Adjectiva copiæ aut inopiæ regunt Genitivum, vel Ablativum.

Abundans lactis vel *lacte. Plenus rimarum*, vel *rimis. Dives pecoris*, aut *pecore.*

Inops consilii, aut *consilio. Expers rationis*, aut *ratione. Vacuus frugum*, aut *frugibus.*

ANNOT.

1. Ex hisce Adjectivis nonnulla quidem Genitivum, pleraque vero Ablativum sæpius regunt: e. g. *Compos voti*; *Impos animi.* Sic *Sterilis, Inanis, Expers*, cum Genitivo vulgo construuntur. At *Truncus, Orbus, Orbatus, Viduus, Vacuus, Cassus*, &c. sæpius cum Ablativo; *Canibarus vino repletus. Gravis ære. Cassus lumine. Captus mente.*

2. Alia etiam sunt Adjectiva Genitivum regentia; ut, *Dignus, Indignus, Affinis, Similis, Communis, Finitimus, Conterminus*, &c. Verum, quum hæc sæpius cum aliis casibus construuntur, postea de iis agetur; nempe *Dignus, Indignus* in Regimine Ablativi; reliqua in Dativi tractabuntur.

De Verbis Genitivum regentibus.

Est, Interest, & *Refert* reguut Genitivum, cum officium alicujus denotant.

Regis

Regis est punire rebelles; judicis litem dirimere. Interest omnium bene agere. Refert tam Populi, quam Principis animadvertere in malos.

At *Meum, Tuum, Suum, Nostrum, Vestrum* ponuntur in Nominativo cum Verbo *Est*; in Ablativo vero Fœminini generis cum *Interest* & *Refert*; ut *Mentiri non est meum. Vestrum est Reipublicæ benefacere. Plus meâ interest, quam tuâ*, Cic. *Meâ nil refert, vestrâ refert, qui patres estis.*

ANNOT.

1. Dicimus, *Cujus interest*; vel *Cujâ interest?* prius Genitivus à Nominativo *Quis:* posterius Ablativus ab Adjectivo *Cujus, a, um.*

2. Hæc tria Verba Genitivum hic non regunt; *Judicis est litem dirimere*; nempe *Officium*, vel *Munus*: *Judicis* ergo Genitivus est post *Officium* vel *Munus*. Sic *Quicquid habemus est Dei*; sc. *Donum*. Item, *Meâ interest*; sc. *Causâ*, vel *gratiâ*: ut patet ex Plauto, *Istuc meâ nihil refert, tuâ refert gratiâ.*

3. Quid vero in hisce & similibus supprimatur dictu adeo facile non est; *Moris fuit apud Romanos*, &c. *Quod recta sector, muneris est tui.* Buch. Ps. 26. In posteriore intelligi potest *Effectus*. Sed satius est dicere hasce particulares esse loquendi formulas, quæ singulis linguis peculiares sunt.

4. Ne dicas; *Interest*, aut *Refert Pluris, Minoris, Plurimi, Minimi*; sed per Adverbia, *Plus, Minus*, &c.

5. Sic, *Paululum, Multum, Nihil, Aliquid*, & similia non in Genitivo ponuntur. *Intererit multum, Davusne loquatur, an herus*, Hor. *Plurimum refert, quibus moribus puerum instituas*, &c. Verum hic est Accusativus quantitatis, de quo postea.

6. Postremo, si Substantivo addatur Adjectivum, utrumque ponitur in Ablativo; *Parvo discrimine refert, quo gestu lepores, & quo gallina secetur.* Juven.

Verba accusandi, damnandi & absolvendi regunt crimen, aut pœnam in Genitivo, aut Ablativo.

Accuso te furti vel furto. Absolveris læsæ Majestatis, vel læsâ Majestate. Non tu absolutus es improbitatis, sed ille damnatus est cædis, Cic. *Capitis fuit accusatus*, Id.

Verba æstimandi regunt hujusmodi Genitivos, *Tanti, Quanti,*

Quanti, Magni, Parvi, Minoris, Minimi, Nihili, Nauci, Flocci.

Tanti te facio, quanti alium neminem. Magni penditur nobilitas, sed parvi probitas. Minoris facit famam, quam pecuniam. Flocci te pendo. Nihili te habeo.

His addas illud Terentii, *Hujus non facio*; ostensâ festucâ, aut aliâ re nihili. Item vulgares illas phrases *Boni consulo. Æqui bonique facio.*

Verba recordandi & obliviscendi regunt Genitivum, vel Accusativum.

Memini illius diei, vel illum diem. Reminiscor beneficiorum, vel beneficia. Obliviscitur sui generis, vel suum genus.

Pœnitet, Piget, Pudet, Tædet, Miseret regunt Accusativum cum Genitivo.

Pœnitet me peccati. Piget, vel tædet me vitæ. Pudet me culpæ. Miseret me fratris.

Discrimen inter Miseror, *&* Misereor, *seu* Misereſco.

Miseror regit Accusativum; *Misereor* & *Misereſco* Genitivum: *Sortem miseretur iniquam*, Virg. *Nil nostri miserere*, Id. *Arcadii quæso, misereſcite regis*, Id.

Hinc observa Verba affectum significantia Genitivum sæpe regere more Græco: *Ego animi pendere soleo*, Cic. *Animi sese angebat*, Ter. Sic, *Discrucior*, vel *angor animi*, vulgo pro *animo*.

De vocibus indeclinabilibus Genitivum regentibus.

Adverbia quædam Loci, Temporis, Quantitatis, & Qualitatis regunt Genitivum.

Loci, *Ubi locorum? Quocunque terrarum. Nusquam gentium. Quo miseriarum devenimus? Huccine malorum ventum est? Eo demenţiæ processit.*

Temporis, *Tunc temporis. Interea loci. Pridie illius diei. Postridie absolutionis*, &c.

Dicas etiam, *Pridie Calendas, Nonas, Idus*, &c. Sed tunc supprimi aiunt *Ante*.

Quan-

Quantitatis. *Satis temporis. Satis verborum. Parum ſapientiæ. Partim virorum occiſi ſunt.*

Qualitatis. *Omnium dulciſſimè canis Philomela; Lynces clariſſimè omnium quadrupedum cernunt.* Atque hoc fit, quia *Dulciſſimus* & *Clariſſimus*, &c. Genitivum regunt.

ANNOT.

1. His addas, *Is ſuarum rerum ſatagit*, Ter. Secundum illud Plauti; *Nunc agitas tute ſat tuarum rerum.*

2. Item, *Venimus illius ergo*; i. e. *illius cauſa*, aut *gratia.*

3. Addas etiam (ſi placet) *Inſtar pecudis. Inſtar montis equum ædificant*, Virg.

4. Leges etiam *Ad inſtar. Ad inſtar Numidis. Ad inſtar ſolis exornatus.* Apul.

REGIMEN DATIVI.

De Subſtantivis Dativum regentibus.

Quodvis Subſtantivum cum Verbo *Eſt* regere poteſt Dativum.

Mihi liber eſt, eſt tibi pecunia; i. e. *Ego habeo librum, tu pecuniam. Eſt mihi namque domi pater, eſt injuſta noverca*, Virg. *An neſcis longas regibus eſſe manus?* Ovid.

De Adjectivis Dativum regentibus.

Omne Adjectivum ſignificans commodum vel incommodum, aut relationem ad aliquid, Dativum regit.

Commodum. *Benignus omnibus. Fidus amicis. Gratus cuique. Utilis Reipublicæ. Dulce bellum inexpertis. Charus mihi. Jucundus tibi. Idoneus nulli rei. Aptus armis*, &c.

Incommodum. *Moleſtus omnibus. Perniciosus patriæ. Obnoxius ſaluti. Infeſtus hoſtibus. Gravis ſtomacho. Ingratus auribus*, &c.

Relationem ad aliquid. *Affinis regi. Familiaris paucis. Conſcius ſibi. Conformis imagini. Communis omnibus. Similis patri. Proximus ſum egomet mihi. Gelido contermina fonti. Falſa veris finitima ſunt*, &c.

ANNOT.

ANNOT.

1. Complura ex hiſce Adjectivis alter conſtrui reperies; ut, *Aptus aut idoneus armis*, vel *ad arma*. *Conſcius ſceleri*, vel *ſceleris*. *Similis patri*, vel *patris*: ſed poſterius ad mores, prius ad figuram pertinere aiunt. Sic vulgo dicimus; *Amicus, & Vicinus patri*, vel *patris*. Sed, *Amicus, & Vicinus patris* ſubſtantiva vocant; *Amicus & Vicinus patri*, Adjectiva.

2. Interdum Adjectivum ſupprimi videtur; ut, *Petrus ſolvendo non eſt*; nempe, *par* aut *idoneus*.

Quædam Adjectiva verbalia in *BILIS* & *DUS* paſſive accepta Dativum regunt.

In *BILIS*. *Amabilis omnibus. Formidabilis hoſtibus. Mors nulli exorabilis*; *multis terribilis. Silex impenetrabilis ferro. Multis ille quidem flebilis occidit*; *nulli flebilior, quam tibi; Virgili.*

In *DUS*. *Pater tibi diligendus, colendus, honorandus eſt. Mater amanda tibi eſt. Sæpe tibi Pater, ſæpe legendus avus*, Ovid,

Quædam in *DUS* active ſumta Accuſativum regunt; *Vitabundus cæſtra. Populabundus agros.* Hiſce (ſi placet) addas, *Præſcius futura*, i. e. *Præſciens futura.*

De Verbis Dativum regentibus.

Omne Verbum commodum vel incommodum, aut relationem ad aliquid ſignificans, Dativum poſt ſe admittit.

Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metis; Plaut. *Siquid peccat filius, mihi peccat*; Ter. *Semper tibi pendeat hamus. Malefacito nemini. Benefacito omnibus. Crede nulli. Cede majori. Parce minori. Redde Petro librum, quem mutuo tibi dedit. Indica, nuncia, declara, dic, narra*, &c. *mihi verum. Muſa mihi cauſas memora.* Virg.

ANNOT.

1. Nulla omnino eſt in univerſa Grammatica regula, quæ tot rerum verborumque ſpecies complectitur, quot hæc unica; adeo ut omni fere Verbo quadret: idcirco ſubjungit optime Deſpauterius,

terius, *Communis ferme omnibus esto Dativus.* Non ab re tamen erit Verba in paucas classes dividere.

2. Primo, Verba auxiliandi Dativum exigunt; ut, *Auxiliare mihi. Succurre misero.* Sic. *Opitulor, Patrocinor, Medeor, Medicor,* &c. At *Juvo* & *Adjuvo* Accusativum regunt. *Fortes fortuna juvat.*

3. Secundo, Verba favendi; *Fave bonis. Audacibus annue cœptis. Tibi gratulor, mihi gaudeo.*

4. Tertio, Verba obediendi. *Pare Deo. Obsequere parentibus. Morem gere præceptori. Obtempera legibus. Milites dicto audientes;* id est, *imperio obedientes.*

5. Quarto, Verba nocendi. *Noceto nemini. Obest saluti: Obest valetudini. Derogat famæ.*

6. Quinto, Verba ignoscendi. *Parce, ignosce, condona mihi.*

7. Sexto, Verba adulandi. *Adulatur tibi. Indoctis applaudit plebecula. Blanditur suis vitiis.*

8. Septimo, Verba repugnandi. *Principiis obsta. Venienti occurrite morbo. Succenset mihi. Irascitur tibi.*

9. Innumera sunt alia, quæ ad certas classes reduci nequeunt; e quibus optime Despauterius, *Multa regunt ternum, quibus haud est regula certa;* ut, *Canere receptui;* id est, ut milites a pugna se recipiant. *Canere progressui,* id est, ut milites ad pugnam progrediantur, &c.

10. Præterea non pauca ex supra dictis Dativum postulant vi compositionis; ut, *Obest saluti. Officit valetudini,* &c. de quibus in sequenti Regula.

Verba composita ex *Ad, Ante, Con, In, Inter, Ob, Post, Pra, Sub, Super,* Dativum fere semper post se habent.

AD. Adstat mihi. Accumbit Regi. Assidet patri. Arridet nobis. Admovet manum Operi.

ANTE. Antecellit omnibus. Virtus omnibus rebus anteit, Plaut. *Miror, ubi ego huic anteverterim,* Ter. Sæpe tamen cum Accusativo leges. *Magnificentiâ omnes antecessit,* Suet. in Aug.

CON. Commisces sacra profanis. Sic parvis componere magna solemus.

IN. Insidet equo. Immoritur studiis. Immittitur arundini. Animæ corporibus

corporibus inhærent. Illudit mihi. Congeſtis undique ſaccis indormit inbians, Hor. Cum Accuſativo tamen ſæpe leges; *Inceſſit mœſtitia animos*, Liv.

INTER. Interèſt ſacræ concioni. Intermiſce vera falſis. Lupus intervenit fabulæ.

OB. Obrepit mihi ſomnus. Pavor officit judicio. Noli obtrectare abſentibus. Nocturnum ſtudium obeſt ſaluti.

POST. Poſtponit pecuniam famæ. Poſthabui tamen illorum meæ ſeria ludo.

PRÆ. Præibo tibi. Præripuit mihi locum. Ego meis majoribus virtute meâ, præluxi, Cic. At *Præcurro, præcedo, prævenio, præverto*, & *prævertor* Accuſativum ſæpius regunt.

SUB. Subes meo imperio. Noſtris ſuccede penatibus hoſpes; Virg. *Et mihi res, non me rebus ſubmittere conor*; Hor.

SUPER. Parentes ſæpe ſuis liberis ſupervivunt. Supereſſe labori; Virg. id eſt, *vincere laborem.*

Hæc caſum ternum ſemper ſibi verba requirunt. *Evenit*, & *Præſtat, Reſtat*que, *Vacat*que, *Licet*que *Sufficit* & *Conſtat*, ſimul *Expedit*, & *Liquet*, atque *Stat, Libet*, atque *Placet*, cum *Convenit, Accidit*, illis *Apparet, Confert, Contingit*, cum *Dolet* addas; Sed ſpernunt normam, *Spectat, cum Pertinet*, atque *Attinet*: hic quartum ſibi Præpoſitura requirit; Scilicet, *Ille liber*, tu dicito, *pertinet ad me.*

Cui naſci contigit, mori reſtat; Senecâ. *Non vacat exiguis rebus adeſſe Jovi*, Ovid. *Peccare licet nemini*, Cic. *Unde tibi conſtat? Non mihi liquet*, &c.

Spectat, Pertinet, Attinet regunt Accuſativum cum Præpoſitione. *Spectat ad ſeptentrionem. Attinet hic liber ad patrem.*

Obſervationes in variam Verborum conſtructionem.

1. Verba varie conſtruuntur, tum in eadem, tum in diverſa ſignificatione.

In

In eadem significatione.

Impertiri alicui salutem; vel, *aliquem salute.*
Donare alicui equum; vel, *aliquem equo.*
Consentire alicui; vel, *cum aliquo.*
Dissentire alicui; vel, *ab aliquo.*
Moderari affectui; vel, *affectum*;
Medicari morbo; vel, *morbum.*
Interdicere alicui suâ domo; vel, *suam domum.*
Latere alicui; vel, *aliquem.*
Celare aliquem consilium; vel, *alicui consilium*; vel, *aliquem de consilio*; vel, *ab aliquo consilium.*

2. Diligenter notandum pleraque ex hisce & similibus Verbis hunc casum sæpius, illum rarius regere; ut, *Interdico tibi domo meâ*, sæpe; *domum meam*, raro. *Celo aliquem consilium*, raro: *celo alicui consilium*, sæpe; *aliquem de consilio*, sæpissime. *A superis celate diem*, Lucan. Num vero *Latet* Dativum, an Accusativum sæpius regat, lectoris esto judicium.

In diversa significatione.

Animadvertere aliquid, est aliquid observare.
Animadvertere in aliquem, est aliquem punire.
Auscultare patri, est patri obedire.
Auscultare patrem, est patrem audire.
Cavere sibi, est sibi prospicere.
Cavere periculum, est periculum vitare.
Cedere alicui, est alicui parere, aut locum dare.
Cedere alicui suum jus, est alicui jus dare.
Cedere jure suo, est ex jure discedere.
Consulere alicui, est consilium dare alicui.
Consulere bonori, famæ, &c. est illis providere.
Consulere aliquem, est consilium ab aliquo petere.
Consulere in commune, est consulere propter bonum commune.
Consulere boni, est in bonam partem accipere.
Contingere alicui, est accidere alicui.
Contingere aliquem, est tangere aliquem.
Convenit hoc mihi, est idoneum vel conveniens mihi.
Convenit mihi cum illo, id est, consentio cum illo.
Convenit me pater, id est, pater allocutus est me.

Dare alicui literas, ut eas ad alium ferat.
Dare ad aliquem literas, ut ipse legat.
Imponere alicui, est aliquem fallere.
Imponere alicui onus, est onus superponere.
Imponere aliquid ori, est in os ponere.
Metuere alicui, ut amico; ne quid mali ei accidat.
Metuere aliquem, ut inimicum; ne malum nobis faciat.
Metuere ab aliquo, idem. *Metui à Chrysîde*, Ter.
Præstare alicui fidem, est fidem implere, seu promissum servare.
Præstare se virum, est virum se exhibere.
Prospicere alicui, est providere commodis alicujus.
Prospicere aliquem, est è longinquo aliquem videre.
Referre alicui, est narrare.
Referre ad Senatum, est Senatui proponere.
Solvere alicui, est satisfacere.
Solvere aliquem, est liberare.
Sufficere alicui, est satis esse.
Sufficere alicui arma, est subministrare.
Sufficere aliquem, est in locum alterius aliquem substituere.
Vacare studiis, est operam dare studiis.
Vacare à studiis, est cessare à studiis.
Vacare culpâ, est carere culpa.

3. Longum esset singula Verba variè constructa hic recensere. *Providere rei frumentariæ, rem frumentariam, de re frumentaria*, Cæs. *Pugnare pugnam*, Plaut. *Prælium*, Hor. *Cum hoste*; *de re aliqua*; *pro aliquo*, Cic. *Contra pedites*, Plin. *Incumbere studiis, in studia*, & *ad studia. Dissentire alicui, cum aliquo, ab aliquo, de aliqua re*: cum innumeris aliis, quæ subministrabit diligens auctorum lectio, & observatio.

4. Postremo notandum Verba *Synonyma*, id est, Verba idem significantia, sæpe diversos regere casus; *Auxilior tibi*; *Fuvo te*: *Noceo nemini*; *Lædo neminem*, &c.

Verba Passiva regunt sæpe Dativum pro Ablativo cum Præpositione *A* vel *Ab*.

Cur tibi despicior? Virg. pro *à te*. *Nec cernitur ulli*, pro *ab ullo*, Id. *Nunc omnibus itur ad aurum*, pro *ab omnibus*, &c.

Quædam

Quædam Verba duos regunt Dativos.

Omnibus sum risui, id est, *omnes me rident. Mihi laudi, tibi infamiæ, omnibus solatio erit. Dedit mihi librum pignori; pecuniam fœnori. Datur tibi vitio. Quod aliis vitio vertis, me tibi laudi duxeris.*

De Adverbiis Dativum regentibus.

Quædam Adverbia regunt Dativum Nominis Adjectivi, unde deducuntur.

Petrus canit similiter Jacobo. Fit obviam mihi. Dixit convenienter rationi. Facit inutiliter sibi.

Postscriptum.

1. Quosdam reperies Dativos festivitatis gratiâ (ut videtur) Verbis appositos; ut, *Hic mihi etiam gloriatur*, Cic. *Quid mihi Celsus agit?* Hor. *Suo sibi hunc jugulo gladio*, Ter.

2. De paucis aliis vocibus indeclinabilibus postea agetur; ut, *Hem tibi, Va illi, Hei mihi*, &c.

REGIMEN ACCUSATIVI.

De Verbis Accusativum regentibus.

Verbum Activum regit Accusativum.

Cole Deum. Honora Regem. Ama patrem. Osculare matrem. Reverere bonos. Imitare probos.

ANNOT.

1. Per *Verbum Activum* hic intellige non solum quæ fiunt in *O*, quæ *Activa terminatione* vocantur; sed & Communia & Deponentia, quæ *Activa significatione* nuncupantur, de quibus actum in prima parte.

2. Superius dictum quædam Activa Dativum pro Accusativo regere; ut, *Nocere nemini*, licet dicamus, *Lædere neminem*. Sic *Fungi officio*, in Ablativo, & *facere officium*.

3. Sæpe ponitur aliquid loco Accusativi, vel sc. Indicativus,

Subjunctivus aut Infinitivus modus, cum aliis vocibus: vel (quod eodem redit) integra phrasis seu sententia; ut, *Novi Deum esse omnipotentem. Novi, quota sit hora, Novi quod tu es vir doctus. Novi cunere fidibus*, &c. Interdum vox indeclinabilis; ut, *Declina PENNA. Conjuga LEGO. Syllabica ETIAM.*

Verba Neutra regunt interdum Accusativum sibi affinem seu cognatæ significationis.

Eo iter. Curro cursum. Vivo vitam. Servio servitutem. Furere furorem, Virg. *Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor*, Id. 3. Vulgo addi solet hujusmodi Adjectivum; *jucundam ago vitam*; *longum eo iter. Duram servio servitutem*, &c.

ANNOT.

1. Pro Accusativo ponitur interdum Ablativus; ut, *Non licet rectâ ire viâ. Morte obiit repentinâ.*

2. Cognatio, seu affinitas Verbi cum Accusativo interdum remotior est, seu difficulter discernitur; ut, *Olet bircum. Crepat mera. Bacchanalia vivit*; id est, lautè seu more Bacchi, genio suo indulgens.

3. Verba neutra pro Activis posita regunt eundem Accusativum, quem Activa regerent, quorum vice ponuntur; sed hoc à Poetis tantum fieri solet; ut, *Quem hic manes*; pro, *expectas?* Ter. *Utque aliis taceam*; pro, *silentio præterem*; Ovid. Sic, *Deperire puellam*; id est, *perditè* seu *vehementer amare*, &c.

4. Nonnulla quidem sunt Verba, quæ nunc Activa, nunc Neutra dici possunt; nec apud Poetas tantum, sed & apud alios Scriptores reperiuntur; ut, *Terra movet*; & *move te ocyus*. Sic, *Hostes fugerunt*; & *Fuge periculum*. In priore *Movet* neutrum videtur; in posteriore Activum. De *Fugere* idem dicas. Quidam volunt Accusativum supprimi; *Terra movet se*: & *Periculum* esse Accusativum cognationis seu affinitatis post *Fugerunt*.

5. Præterea Verba non solum Neutra, sed & Passiva regunt Accusativum more Græco, seu per Synecdochen, ut loquuntur; ut, *Petrus rubet faciem*; *vulneratur caput*; *truncatur brachium*, &c.

6. Postremò, hisce omnibus subjungatur, Verbum *Eo* regens Accusativum *Inficias*: *Eo inficias*, i. e. *Nego*.

Omne

Omne Verbum regere poteſt Accuſativum Quantitatis.

Multum tremo. Parum ſudo. Plurimum refert. Nil miror. Multum ille & terris jactatus & alto, Virg. *Homo homini quid* (i. e. quantum) *præſtat?* Ter.

Verba tam Neutra, quam Activa, regunt Accuſativum Nominis Adjectivi poſitum pro Adverbio.

Altum dormire, vel *ſapere*; pro *altè*, Hor. *Cernis acutum*; pro *acutè*, Id. *Horrendum ſonuere*; pro *horrendè*, Virg. *Sole recens orto*; pro *recenter*, &c.

Quædam Verba tam Neutra, quam Activa, regunt Acculativum vi compoſitionis.

Activa. *Omnem equitatum pontem traduxit*, Cæſ. *Trajecit cotis Iberum*, Id.

Neutra. *Diſcipuli circumſtant Præceptorem. Petrus adit Scholam. Egreditur aut exit domum*; vel *domo*.

ANNOT.

1. *Traduxit equitatum pontem: Equitatum* Accuſativus eſt poſt *Traduxit*, quatenus eſt Activum; *Pontem* Accuſativus reſpectu compoſitionis.

2. *Exit* aut *Egreditur domum*; quia (ut aiunt) *Exeo*, & *Egredior* componuntur ab *Ex* vel *Extra* & *Eo* aut *Gradior*. Vulgo tamen dicimus *Exeo domo*; & non *domum*.

3. Apud doctos reperies Præpoſitionem tum ante Verbum, tum ante Caſum a Verbo rectum; ut, *Petrus adit ad templum*; *Exit ex ædibus*, &c.

Verba docendi & rogandi regunt duos diverſos Accuſativos.

Docendi. *Doceo te Grammaticam. Dedocebo te iſtos mores. Illud te moneo. Id ipſum, quod me mones, quatriduo ante cogitaram*, Cic. *Eam rem locus non admonuit*, Sal.

Rogandi. *Hoc te unum oro. Sine te hoc exorem*, Ter. *Pacem te poſcimus omnes*, Virg. *Illi me frumentum flagitabant*, Cic.

ANNOT.

1. Sæpe aliter conſtruuntur; *Docere aliquem de adventu hoſtium. Senatum edocet de itinere hoſtium*, Sal. *Rogato veniam à Præceptore. Ego te iiſdem de rebus interrogabo. Peto vel poſtulo abs te veniam*, multò melius quam, *Peto veniam te.* Sic, *Inſtituo, Inſtruo, Informo*, & multa alia raro cum duobus Accuſativis; *Inſtruere liberos ingenuas artes*, raro; *Ingenuit artibus*, ſæpe. *Multum intereſt, quibus artibus puerum inſtituas.*

2. *Supplico* Dativum ſolum regit; *Ipſum, hunc orabo, huic ſupplicabo*, Ter.

3. Ultimò notandum hæc Verba regere duos diverſos Accuſativos, unum perſonæ, alterum rei; ut in exemplis videre eſt. Quodlibet enim Verbum activum regere poteſt duos Accuſativos, ſed non diverſos; ut, *Præſta te virum. Vocat me magiſtrum. Faciam te arbitrum.*

Paſſiva Verborum duos diverſos Accuſativos regentium admittunt Accuſativum rei.

Doceo te Grammaticam; *tu doceris Grammaticam. Doctus iter melius*, Hor. *Cato rogatur ſententiam*, Sal. *Nec ea, quæ monemur, audimus*, Cic.

Pro Accuſativo ſæpe ponitur Ablativus poſt Verba docendi; *Sempronia literis Græcis atque Latinis docta*, Sal. *Græcis literis eruditus*, Cic.

De Verbis Veſtiendi.

1. *Induo* & *Exuo*, regunt Dativum cum Accuſativo; vel, Accuſativum cum Ablativo.

2. *Induo mihi tunicam*; vel, *me tunicâ. Exuit ſibi veſtem*; vel, *Se veſte.*

3. In ſacris cum duobus Accuſativis reperies: *Induit eum ſtolam gloriæ.*

4. Reliqua veſtiendi Verba Accuſativum cum Ablativo exigunt: *Cingere urbem mœnibus. Cingere ſe Gladio. Terra veſtit ſe gramine*: & non, *Veſtit ſibi gramen*: bene tamen, *Petrus accingit ſe operi, itineri, prædæ*; id eſt, *ad opus, iter, prædam.*

5. Horum paſſiva hunc Ablativum retinent: ut, *Vir indutus muliebri veſtitu*, Cic. *Dii induti ſpecie humanâ*, Id. *Exuitur veſtibus. Terra veſtitur floribus.*

6. Apud

6. Apud Poëtas quidem in Accuſativo reperies: *Induitur galeam.* Virg. *Quidlibet indutus.* Hor. *Et inutile ferrum cingitur.*

Decet, *Delectat*, *Juvat*, & *Oportet*, regunt Accuſativum cum Infinitivo.

Pueros decet eſſe verecundos. Multos delectat ludere. Paucos juvat invigilare ſtudiis. Oportet me ſcribere.

ANNOT.

1. Aliter ſic: *Verecundia decet pueros. Luſus delectat multos. Studium paucos juvat. Oportet, ſcribam.*

2. *Oportet* eleganter jungitur Participio præteriti temporis: *Celatum, & cum nullo communicatum oportuit. Verum hoc, quod jam pridem factum oportuit, dictum non oportuit,* Cic.

3. Alia etiam eodem modo conſtruuntur; *ut*, *Hoc tibi effectum dabo. Illud te admonitum volo. Eſt, qui te conventum velit. Omnes vos oratos volo. Me excuſatum habeas. Ubi erit inventum curabo. Me miſſum facito. Miſſa iſtæc faciamus,* &c.

De Regimine Infinitivi.

Quum duo Verba ſint in eodem commate, alterum ponitur in Infinitivo.

Cupio ſcire. Vereor dicere. Docemur diſputare, non vivere. Qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit. Cernere erat. Legere eſt apud Virgilium, &c.

Excipe, ſi prius ſit Verbum motûs ad locum; ut, *Eo piſcatum. Contulit ſe ad forum emptum chartam*; de quo poſtea.

ANNOT.

1. Excipies forte etiam hæc, & ſimilia; *Cave dicas*; *Fac ſciam*; vel, *Cave ne dicas*; *Fac ut ſciam.* Verum hic addi debet Comma; *Fac, ut ſciam,* &c.

2. Adjectiva habentia eandem ſignificationem cum Verbis Infinitivum etiam regunt; ut, *Cupio diſcere*; *Cupidus diſcere. Neſcii ineſcare homines*; *Neſcius ineſcare homines,* &c.

De Regimine Participiorum, Gerundiorum, & Supinorum.

Participia, Gerundia, & Supina regunt Casum sui Verbi.

Lego Cæsarem; ergo *legens & lecturus Cæsarem. Emo pisces*; ergo *Eo emptum*, vel, *ad emendum pisces. Fungor officio*; ergo *fungens, & functurus officio*, &c.

ANNOT.

1. Eadem semper debet esse Verbi significatio; ideoque licet dicamus, *Osculor matrem*, & inde *osculans, & osculaturus matrem*; non tamen, *Osculandus matrem*; sed, *à matre*; quia hæc Participia (ut suo loco dictum) passive sumuntur. Hinc est, quod Supina in *U* non regant Casum.

Gerundium in *DUM* necessitatem aut officium significans, comitatur Verbum *Est* cum Dativo.

Moriendum est omnibus, id est, necesse est, ut omnes moriantur. *Serviendum est nobis Deo*; id est, officium nostrum est Deo servire. *Abeundum fuit mihi. Equitandum erit tibi cras.*

Gerundium in *DUM* necessitatem non significans, regitur post *Ad* vel *Inter*.

Ne sis præceps ad loquendum. Veni huc ad discendum literas. Inter cænandum istud audivi. Inter eundum hoc notavi.

ANNOT.

1. Reperies interdum post *Circa, Ob*, aut *Ante*; ut, *Sed plus eloquentiæ circa movendum valet*, Quint. *Quanto illud flagitiosius, eum, à quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare?* Cic. *Antè domandum ingentes tollunt animos*, Virg.

2. Gerundium hoc vulgò sequitur Verbum motûs; ut, *Mittunt ad oppugnandum castra*, Liv. vel hujusmodi Adjectiva, *Facilis, Difficilis, Paratus, Aptus, Promtus*, &c. *Esto promtus ad respondendum.*

Gerun-

Gerundium in *DI* regitur vulgo poſt Subſtantiva, interdum poſt Adjectiva.

Subſtantiva. *Tempus eſt cœnandi. Concede veniam exeundi. Da ſpatium cogitandi. Non fuit mihi copia conveniendi hominem. Non eſt nunc dicendi locus.*

Adjectiva. *Cupidus redeundi. Peritus bellandi. Studioſus diſcendi. Imperitus navigandi.*

ANNOT.

1. Non raro Infinitivum pro Gerundio reperies, præcipuè apud poëtas. *Studium quibus arva tueri*; pro *tuendi*, Virg. *Audax omnia perpeti*, Hor. Sic, *Cupidus redire*, vel, *redeundi* vulgo dicimus.

Gerundium in *DO* regitur poſt *A*, *Ab*, *De*, *In*, *E*, vel *Ex*; aut ponitur abſolutè, id eſt, ſine Præpoſitione,

Ignavi à diſcendo citò deterrentur. De bene vivendo jam quæſtio nulla movetur, Ovid. *In judicando criminoſa eſt celeritas. Ex defendendo major gloria, quam ex accuſando paratur.*

Abſolutè ponitur; ut, *Scribendo diſces ſcribere. Fabricando fimus fabri.*

Diſcrimen inter Gerundia & Participialia in DUS, *quæ vulgò* Gerundiva *appellantur.*

1. Gerundia regunt Caſus ſuorum Verborum, & plurali carent; ut, *Legendo libros paratur eruditio. Venio ad accipiendum pecuniam.*

2. Participialia, ſeu Gerundiva conveniunt cum illo, quod Gerundium regit; ut, *Legendis libris paratur eruditio. Venio ad accipiendam pecuniam. Mater eſt viſenda. Pater eſt exorandus*, &c.

3. Elegantius vulgò loquimur per Gerundiva, quam per Gerundia. Ornatius dicitur, *Petenda eſt pax*, quam, *Petendum eſt pacem.* Interdum Gerundivum & Gerundium coincidunt; ut, *Scribendum eſt Thema.*

4. Notandum diligenter Participiale ſeu Genitivum non venire, niſi à Verbo Accuſativum regente; ideoque erraret, qui

qui diceret; *Huc veni tui ſerviendi causâ.* Dicendum, *tibi ſerviendi causâ*; vel, *tui obſervandi causâ:* quia *ſervire* regit Dativum, & *obſervare* Accuſativum. Item, Ne dicas, *Veni huc ad carendam voluptatem*; ſed, *ad carendum voluptate.*

5. Poſtremo, notandum Gerundium in *DI* interdum regere poſt ſe Genitivum pro Accuſativo; ut, *Tempus eſt videndi lunæ*; pro, *lunam. Ego ejus videndi cupidus relicta ſequor*, Ter. de virgine loquens. *Tale fuit principium generandi animalium*, Var.

Supinum in *UM* ponitur poſt Verba motus ad locum.

Petrus ivit pranſum, cœnatum, cubitum. Recepit ſe domum petitum librum. Contulit ſe ad forum emptum chartam.

ANNOT.

1. Poſtponitur etiam Participiis; ut, *Mihi deambulatum eunti, occurrit homo furioſus.*

2. Quædam Verba motum ſignificant, ſed occulte & latenter; ut, *Do filiam nuptum*, Ter. *Coctum, non vapulatum conducius fui*, Plaut. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici*, Hor.

2. Interdum, ſed præcipue apud Poetas, ponitur Infinitivus pro Supino: *Vultiſne eamus viſere?* pro *viſum?* Ter. *Dicere jus veniet?* Buch. Pſ. 1.

3. Aliter hæc loquendi forma efferri poteſt, ſc. per Subjunctivum; ut apud Hor. *Spectatum veniunt; veniunt, ſpectentur ut ipſæ.* Item per Gerundia, Gerundiva, &c. ut ex ſequente tabula videre eſt.

Venio	*auditum concionem.*	Vulgò.
	ad audiendum concionem.	Minus ornatè.
	ad audiendam concionem.	Ornatè.
	gratiâ audiendi concionem.	Bene.
	gratiâ audiendi concionis.	Rarò.
	gratiâ audiendæ concionis.	Bene.
	auditurus concionem.	Bene.
	ut audiam concionem.	Bene.
	audire concionem.	Poeticè.

4. Supinum in *Um* non variatur; ut, *Poſtquam audierat filio non datum iri uxorem*, Ter. *Novit Deus oculos veſtros apertum iri.*

5. Futurum

5. Futurum Infinitivi in *Rum* interdum etiam non variatur; ut, *Aruſpices dixerunt omnia ex ſententia proceſſurum*, Valer. Antias. *Illi polliciti ſeſe facturum omnia*, Cato 5. Orig. *Non puto eam hoc facturum*, Laber. *Hanc ſibi rem ſperant præſidio futurum*, Cic.

Supinum in *U* regitur poſt Adjectiva.

Turpe dictu. Facile inventu. Jucundum auditu. Mirabile viſu. Difficile creditu. Optimum factu.

ANNOT.

1. Aliter ſic: *Horatius eſt dignus legi, lectione; dignus, qui legatur; quem legas:* & aliquando, *dignus ad legendum: Cibus ad coquendum facillimus*, Cic.

Annotatiuncula.

Neſcio an ulla Subſtantiva Accuſativum regant. Hujuſmodi tamen phraſes apud Veteres, præcipue Comicos, reperire eſt; *Quid iſtam tibi tactio eſt?* i. e. *Quid iſtam tangis?* Plaut. *Quid tibi hanc rem curatio*, aut *mutatio eſt? Quid tibi hanc additio?* &c.

De Regimine Oppidorum.

Nomen Oppidi primæ aut ſecundæ Declinationis ſingularis numeri ponitur in Genitivo; tertiæ vero, aut pluralis in Ablativo poſt Verba quietis; ſeu, cum reſpondemus ad Quæſtionem *Ubi*.

Pater habitat Romæ, Londini, Carthaginis, Athenis.

Ubi eſt frater? Reſp. *Lutetiæ, Edinburgi, Lacedemone, Hieroſolymis*, &c.

Nomen Oppidi ponitur in Accuſativo poſt Verba Motus ad locum, ſeu cum reſpondetur ad Quæſtionem *Quo*.

Pater profectus eſt, vel petiit Romam, Londinum, Carthaginem, Athenas.

Quo ivit pater? Reſp. *Lutetiam, Edinburgum, Lacedemonem, Hieroſolyma.*

Nomen

Nomen Oppidi ponitur in Ablativo poſt Verba motûs è loco; ſeu, cum reſpondemus ad Quæſtionem *Unde*.

Pater rediit Româ, &c. *Unde venit?* Reſp. *Edinburgo*, &c.

Nomen Oppidi ponitur in Ablativo poſt Verba Motûs per locum; ſeu, cum reſpondendum eſt ad Quæſtionem *Qua*.

Pater tranſiit Lutetia Romam, &c.
Qua pater iter facit Londinum? Reſp. *Rervico.*

ANNOT.

1. Sæpe additur Præpoſitio; *In Alexandria*, Cic. *Ab Roma* Liv. *Ad Gentuam pervenit*, Cæſ.

2. Præcipuè vero ubi eſt ambiguitas; ut, *Confero me Romam per Coloniam*; ne, ſi *Coloniâ* dixerim, intelligatur *ex loco*, non, *per locum.*

3. Additur etiam Præpoſitio, ubi Nomen Oppidi ſibi appoſitum habet Adjectivum; ut, *Ad doctas proficiſcor Athenas.*

4. Item, ubi non ipſum oppidum ſed locum vicinum intelligis; ut, *Anglorum exercitus ad Edinburgum uſque pervenit*; id eſt, *ad campos urbi vicinos.*

De Nominibus Regionum, Inſularum, &c.

1. Nominibus Regionum, & Inſularum additur Præpoſitio; ut, *Pater eſt in Gallia, in Anglia, in Britannia*; *profectus eſt in Galliam, in Angliam, ad Britanniam*; *rediit ex Gallia*, &c.

2. Interdum ſine Præpoſitione reperies; *Siciliæ cum eſſem*, Cic. *Sardiniam venit*, Id.

3. Reliqua Nomina Præpoſitionem habent, ſive Propria Nomina, nempe Fluviorum, Montium, &c. ſive Appellativa, ſeu Communia; uu, *Cæſar pervenit ad Rhenum, ad Ætnam*; *ivit ad templum, ad montem*, &c,

Domus & *Rus*, tanquam Oppidorum Nomina ponuntur ſine Præpoſitione.

Petrus eſt domi, *Ruri vel rure*; *ivit domum*, *rus*; *rediit domo*, *rure*, vel *ruri*: *Rus* enim (ut alibi dictum) format *rure* vel *ruri* in Ablativo.

ANNOT.

ANNOT.

Domus hanc loquendi formam ſervat ſolummodo cum ſequentibus Adjectivis, *Mea*, *Tua*, *Sua*, *Noſtra*, *Veſtra*, & *Aliena*; ut, *Petrus eſt domi meæ*, *tuæ*, *ſuæ*, &c, *Ivit domum meam*, *tuam*, &c. *diſceſſit domo meâ*, &c. Cum aliis vero Adjectivis additur Præpoſitio; ut, *Petrus eſt in domo paternâ*; non *domi paternæ*, &c. At bene dices, *Petrus eſt domi patris*; *ivit domum patris*, &c. *Hujus domi mortuus eſt*, Cic.

In plurali vulgo additur Præpoſitio; *Iverunt quiſque ad ſuas domos.* Ovidius habet ſine Præpoſitione; *Veſtras quiſque redite domos.*

Diſcrimen inter DOMI & IN DOMO.

Poteſt quis eſſe *Domi*, qui non eſt *in domo*; & vice versâ, poteſt quis eſſe *in domo*, qui non eſt *domi*; e. g. Cum pater familias eſt in horto ſuo, eſt *domi*, ſed non *in domo*; & cum eſt *in domo* peregrini, non eſt domi.

De Humi, Militiæ, Belli, *&* Togæ, *&c.*

Humi ponitur poſt Verba motûs & quietis. *Procumbit humi bos*, Virg. *Poma jacent humi*, &c. At ſi addatur Adjectivum, ne dicas *humi*; ſed, *in humo*; ut, *Poma jacent in molli humo*; non, *mollie humi.* Ovidius habet in Ablativo ſine Adjectivo; *Et requievit humo.*

Militiæ, *Belli*, & *Togæ* apponuntur Verbis quietis; *Temerarius agit militiæ. Gratus principi, belli, togæque*, i. e. tempore belli & pacis. At Plin. *Ut dubium ſit, togâne, an bello præſtantior ſit.*

De Adverbiis in loco.

Adverbia *in loco* ponuntur poſt Verba quietis aut motûs in loco: ſuntque, *Hic*, *Iſtic*, *Illic*, *Intus*, *Foris*, *Nuſquam*, *Alibi*, *Alicubi*, *Ibidem*, *Ubique*, *Ubilibet*, *Ubivis*, *Necubi*, *Sicubi*, *Inferius*, *Superius*, *Infra*, *Supra*, &c. *Pater eſt intus*, *foris*, &c. *Ubi ſedet Pater?* Reſp. *Hic*, *illic*, *ibidem*. *Ubi currendum eſt? Ubivis*, *Ubilibet.*

De

De Adverbiis ad locum.

Adverbia *ad locum* poſtponuntur Verbis motus ad locum: ſuntque, *Huc, Iſtuc, Illuc, Alio, Aliquo, Siquo, Eo, Eodem, Quolibet, Quovis, Utroque, Neutro, Intro, Foras, Dextrorſum, Siniſtrorſum, Antrorſum, Retrorſum, Surſum, Deorſum*, &c. *Quo ivit Pater? Illuc, intro, foras. Veniet huc*; *Ibit illuc*, &c.

De Adverbiis è loco.

Adverbia *è loco* poſtponuntur Verbis etiam motus ad locum: ſuntque, *Hinc, Iſtinc, Illinc, Alicunde, Aliunde, Necunde, Sicunde, Undelibet, Undevis, Supernè, Infernè, Cœlitus, Funditus*, &c. *Diſceſſit hinc Pater. Unde veniunt bona?* Reſp. *Cœlitus.*

De Adverbiis per locum.

Adverbia *per locum* ponuntur etiam poſt Verba motus ad locum; ſuntque, *Hac, Iſtac, Illac, Qua, Aliqua, Siqua, Ea, Eadem*, &c. *Hac itur ad urbem. Qua itur Romam?* Reſp. *Iſtac.*

Spatium ſeu intervallum temporis, per quod reſpondemus ad Quæſtionem *Quamdiu*, ponitur in Accuſativo vel Ablativo ſine Præpoſitione; vel in Accuſativo cum Præpoſitione *PER.*

Pater habitavit Londini tres annos, vel, *tribus annis*, vel, *per tres annos. Quamdiu ſtuduiſti?* Reſp. *Duas horas*, vel, *duabus horis*, vel, *per duas horas.*

Obſervandum tamen vulgo ornatius poni in Accuſativo ſine Præpoſitione; ut, *Iſte potat noctes & dies*, ornatius quam, *noctibus & diebus*; aut, *per noctes & dies: Noctes atque dies patet atræ janua mortis*, Virg.

Diſtantia aut intervallum loci, per quod reſpondemus ad Quæſtionem *Quam procul*, ponitur in Accuſativo aut Ablativo.

Limnuchus diſtat Edinburgo duodecim milliaria, vel, *milliaribus. Quam longe hinc diſtat Londinum?* Reſp. *Trecenta milliaria*, vel, *trecentis milliaribus.*

Lon-

Longitudo, ſeu craſſities rei, per quam reſpondemus ad Quæſtionem *Quantus*, ponitur in Accuſativo vel Ablativo.

Baculus tres pedes, vel, *tribus pedibus longus. Tamus latus ulnam*, vel, *ulna.*

At ſi comparatio fiat, in Ablativo tantum ponitur; ut, *Quanto es tu altior me?* Reſp. *Pede, digito, latitudine digiti*, &c.

Species temporis per quod reſpondemus ad Quæſtionem *Quando*, ponitur in Ablativo.

Rediit domum heſterno die, horâ quartâ pomeridianâ. Quando inviſes matrem? Reſp. *Sequente ſeptimanâ. Quando diſceſſit pater?* Reſp. *Horâ quartâ matutinâ.*

Sæpe additur Præpoſitio: *Rediit ad horam conſtitutam; ad dictum diem. Sub noctem cura recurſat*, Virg. *Sub noctem dixere vale*, Ovid. *Ut jugulent homines ſurgunt de nocte latrones.*

Species loci per quam reſpondemus ad Quæſtionem *Ubi*, ponitur in Ablativo.

Latro captus eſt ſexto lapide ab urbe: Dicas etiam, *Ad ſextum lapidem.*

Præpoſitiones Accuſativum tantum regentes.

Ad, Apud, Ante, Adverſus, ſeu *Adverſum, Cis, Citra, Circum; Circa, Circiter, Contra, Erga, Extra, Inter, Intra, Infra, Juxta, Ob, Per, Prope, Præter, Propter, Poſt, Pone, Penes, Secundum, Secus, Supra, Trans, Ultra, Uſque*, & *Verſus.*

Fugit ad aſylum. Frandet apud patrem. Surrexit ante lucem. Pugnat adverſus duos. Stabat cis flumen, &c.

Uſque & *Verſus* Adverbia à multis ſtatuuntur: rarius enim caſum regunt.

Præpoſitiones Ablativum tantum regentes.

A, Ab, Abs, Abſque, Cum, Coram, De, E, Ex, Præ, Pro, Palam, Sine.

Accepit à patre. Laudatur ab omnibus; Vituperatur abs te. Venit abſque comite. Ambulat cum fratre, &c.

Præ-

Præpoſitiones Accuſativum, vel Ablativum regentes, ſc. In, Sub, Super, & Subter.

IN.

1. *IN* regit Accuſativum poſt Verba motûs ad locum; ut, *Pater rediit in Scotiam. Profectus eſt in Angliam. Ingreſſus eſt in Scholam.*

2. Interdum motus difficilius diſcernitur; ut, *Da librum mutuo in biduum. Avaritia creſcit in horas. Vertit Homerum in linguam Latinam.*

3. *In* pro *Erga* Accuſativum etiam regit; *Omnibus notus eſt tuus in patriam amor.*

4. Item *In* pro *Contra*, *Pugnavit in Romanos,*

5. Item *In* pro *Ad*, vel *Propter*; *In hoc natus ſum. Eſt in rem tuam.*

6. Item *In* pro *Super*; *In utramque aurem dormis*, Ter.

7. *In* regit Ablativum poſt verba quietis aut motûs in loco; ut, *Pater ſedet in Curia*; *Ambulat in foro.*

8. Item *In* pro *Inter*; *Fuſtiſſimus unus, qui fuit in Teucris*, Virg.

9. *In* aliquando vel Accuſativum, vel Ablativum indifferenter regit; ut, *Abdiderunt ſe in ſylvas*, vel *ſylvis. Propoſuit in publicum*, vel *publico*, Apud Cæſ. vulgo. *Abdere in ſylvas.*

SUB.

1. *Sub* regit Accuſativum poſt Verba motûs ad locum; ut, *Famus ſub tectum.*

2. Item pro *Circa*, aut *Circiter*: *Rediit ſub quartam*, *Sub cœnam.* i. e. *paulo ante cœnam.*

3. *Sub* regit Ablativum poſt Verba quietis, aut motûs in loco; ut, *Pater ſedet ſub umbra. Pueri diſcurſitant ſub tecto.*

SUPER.

1. *Super* regit Accuſativum poſt Verbum motûs ad locum; Accuſativum vero, vel Ablativum poſt Verba quietis; ut, *Tegulam cecidit ſuper caput. Sedeo ſuper ſaxum. Hic tamen hæc mecum poteris requieſcere noctem, fronde ſuper viridi*, Virg.

2. *Super*

2. *Super* pro *Ultra*. Accusativum exigit: *Famâ super æthera notus*, Virg.

3. Item pro *Præter*; *Super cæteræ flagitia, hoc etiam facinus commisisti*, Suet.

4. *Super* pro *De* Ablativum postulat: *Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa*, Virg.

5. *Super* pro *Superbus* poni videtur apud Virg. *O Mihi! Sola mei super Astyanactis imago.*

Subter.

Subter vulgò Accusativum, interdum Ablativum exigit: *Subter aquas*; *Subter terram*; *Subter mœnia*, Virg. *Omnes ferro liber subter densa testitudine casus*, Id.

Clam.

Clam vulgo Ablativum, interdum Accusativum regit: *Clam populo*, *Clam uxorem*, Ter. Apud eundem legas, *Clanculum Patres.*

Tenus.

1. *Tenus* vulgò regit Ablativum singularem; ut, *Talo tenus*; *Crure tenus medio*, Juv. *Capulo tenus abdidit ensem.*

2. Interdum etiam Ablativum pluralem; *Poplitibus tenus*, Virg.

3. Regit vero Genitivum pluralem, ubi Nomen caret singulari; ut, *Cumarum tenus*, i. e. *Usque ad Cumas.*

4. Item, ubi Nomen res geminas significat; ut, *Aurium tenus*; *Crurum tenus*, &c.

5. Notandum *Tenus* Postpositionem potius quam Præpositionem appellandam; postponitur enim suo Casui. Idem de *Versus* & *Usque* aliquando dicendum.

Procul.

1. *Procul* vulgò Ablativum: interdum Accusativum regere videtur. *Procul dubio: Procul vero: Procul oceano.* Reperies etiam *Procul muros.*

2. Verisimile est *Procul* nullum regere Casum: *Procul vero*, i. e. *Procul à vero.* Ita Cic. *Procul à nobis.* Et *Procul muros*, i. e. *Procul ad muros.*

Annotatiuncula.

1. *A* & *E* Conſonantibus; *Ab* & *Ex* vel Conſonantibus, vel Vocalibus præponuntur; ut. *A patre, Abavo, ab illo.* Item, *E domo, Ex ædibus, Ex illo foramine.* Dicas tamen, *A*, vel *Ab Rege*; *E*, vel, *Ex domo*, &c.

2. *Abs* præponitur *Q*, & *T*, *Abs te*, vel *à te. Abs quovis homine.*

Am, Di, Dis, Re, Se, Con.

Am, Di, Dis, Re, Se, Con, vocantur Præpoſitiones inſeparabiles, quia non leguntur, niſi vocibus præfixæ, ſeu in compoſitione; ut, *Ambio, Diduco, Diſtrabo, Redeo, Sepono, Confero:* ſic in Nominibus, *Redux, Concors, Diſcors*, &c.

Obſervatiuncula.

1. Cum Præpoſitiones nullum regant caſum, Adverbia fieri aiunt; ut, *Procul hinc abeſt Roma, De his infra dicemus. Paucâ ſupra repetam. Cave, ne hoc palam fiat*, &c.

2. Sunt, qui aiunt Caſum ſupprimi; ut, *Quo tenditis ultra?* Luc. ſc. *ultra hunc locum. Nec te quæſiveris extra*, ſc. *Extra teipſum*, Perſ. De cæteris conjecturam facias.

REGIMEN VOCATIVI.

1. *Heus* Vocativum regit: *Heus Syre*, Ter. *Hem bone vir.*

2. *O, Prob, Ah*, & *Heu*, vulgo Vocativum, interdum Accuſativum regunt; cum oratio eſt vehemens: *O Dave, hîne contemnor abs te?* Ter. *Prob ſancte Jupiter! O me perditum! Heu me miſerum! Prob Deûm atque hominum fidem!*

3. Veriſimile eſt Verbum aliquid hic ſupprimi: *Heu me miſerum!* ſc. *ſentio*, vel *video me eſſe miſerum. Appello fidem Deûm & hominum.* Ideoque hæ voces Accuſativum nunquam regunt.

4. *Hem* Dativum, Accuſativum, vel Vocativum regere videtur: *Hem tibi: Hem Davum: Hem Pamphile*, Ter.

5. Supprimitur forte & hic Verbum aliquod. *Hem tibi:* ſc. *Cave tibi. Hem Davum:* ſc. *Reſpice Davum.*

6. *Hei* & *Væ* Dativum exigunt: *Hei mihi. Væ tibi.*

7. *En* & *Ecce* Nominativum vel Accuſativum poſtulant: *En dextra*, Virg. *En quatuor aras*, Id. *Ecce Pater. Ecce miſerum hominem.*

8. Sub-

8. Subintelligi etiam poteſt hic Verbum aliquod: *En Pater*; ſc. *adeſt Pater.* Nam interdum hæ voculæ nullum regunt Caſum: *Ecce, Corynna venit*, Ovid.

REGIMEN ABLATIVI.

Verbum Paſſivum regit Ablativum cum Præpoſitione *A* vel *Ab*.

Amor à patre. Doceor à præceptore. Oſculor à matre. Virgilius legitur à me. Terra aratur ab illo. Petrus videtur ab omnibus.

ANNOT.

1. Apud Poëtas Dativus pro Ablativo ponitur: *Neque cernitur ulli*; pro, *ab ullo*, Virg.

2. Gerundia & Gerundiva Dativum ſemper habent: *Legendum eſt mihi* Virgilium. *Legendus eſt mihi Virgilius. Scribenda eſt tibi epiſtola*, &c.

3. Dicendum certe non eſt Verba Paſſiva Ablativum cum Præpoſitione regere. Iſtud de omni fere voce dici poteſt; ut, *Primus à Rege. Secundus à Principe. Caſus à Venere. Alius ab illo. Accepit à patre. Aufert a me. Differt à te. Diſtat ab Edinburgo. Stat à tergo*, &c.

Utor, Abutor, Fruor, Fungor, Potior, Veſcor, Careo, Indigeo regunt Ablativum.

Utitur libro meo. Abutitur Dei donis. Fruitur conſpectu amici. Fungitur officio. Hoſtes potiuntur caſtris. Veſcor carne, piſcibus, &c. *Morte carent animæ*, Ovid. *Careo libro, argento*, &c. *Indigeo maximo.*

ANNOT.

1. Ex hiſce quædam cum aliis caſibus interdum conſtruuntur: *Mea bona utantur*, Ter. *Operam abutitur*, Id. *Fungitur officium*, Id. *Urbem potiri*, Cic. *Potiri totius Galliæ*, Cæſ. *Quaſi ut hujus indigeas patris*, Ter.

Verba copiæ & inopiæ regunt Ablativum.

Abundat opibus, Affluit divitiis. Hic liber ſcatet erratis. Impleviq; mero pateram, Virg.

Eget nummis. Vacare culpâ magnum est solatium. Cic.

ANNOT.

1. Interdum cum Genitivo reperies; *Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ*, Virg. quod fit more Græco.

2. *Careo* & *Indigeo* ad hanc Regulam pertinent, quæ tamen expressa de limus in præcedente; pueri nunquam sese non errant in Verbo *Careo*. *Quid cares*, &c.

Omne Verbum, vel Adjectivum regit quantitatem excessus in Ablativo.

Hoc lignum excedit illud ulnâ, digito, pede, &c. *Petrus superat omnes viribus, eruditione, dignitate*, &c. *Homo ratione bestiis præstat.*

Omne Verbum, vel Adjectivum regit Ablativum, qui resolvi potest per *Ob*, *Per*, *Præ*, *Propter*.

Petrus pallet metu; *tacet pudore*; i. e. *Ob*, vel *propter metum*; *præ pudore*, &c.

Item: *Pallidus est metu*; *Superbus honore*, i. e. *ob metum*, *vel honorem*.

Dignus, *Indignus*, *Contentus*, *Præditus*, *Orbus*, *Vacuus*, & reliqua Adjectiva copiam, aut inopiam significantia, Ablativum regunt.

Dignus laude. Indignus odio. Contentus nihilo. Præditus virtute. Orbus patre. Cambarus vino repletus. Urbs opibus referta. Captus mente. Cassus lumine.

ANNOT.

1. Hæc Adjectiva interdum cum Genitivo construuntur, ut ante monstratum: *Tempus vacuum laboris*, Ter. Reperias etiam; *Vacuus ab omni munere publico*, Cic.

Opus pro *Necesse*, regit Ablativum.

Tua authoritate nobis opus est, Cic. i. e. *Authoritas tua est necesse*, seu *necessaria nobis*. *Opus est libro, cultro*, &c.

Divisio

Divisio Vocis Opus.

2. *Opus* est declinabile, vel indeclinabile.
3. Declinabile; hoc *Opus operis*; ut, *Opera Ciceronis.*
4. *Opus* Indeclinabile est Adjectivum, aut Substantivum.
5. *Opus* Adjectivum; ut, *Opus est mihi liber.*
6. *Opus* Substantivum (quod solummodo ad hanc Regulam pertinet) ut, *Opus est mihi libro, cultro*, &c.
7. Aiunt *Opus* in postrema acceptione Genitivum interdum regere; ut, Apud *Ovidium.*

Non minor est Virtus quam quærere, parta tueri:
Casus inest illic, hic erit artis opus.

8. Valde fallor, si *Opus* hîc non sit Substantivum declinabile; certe & sensus & constructio patitur.

Comparativus Gradus regit Ablativum.

Nihil nive candidius. Nil melle dulcius.
Vel sic; *Nihil candidius, quam nix; nil dulcius, quam mel*, &c.

Pretium ponitur in Ablativo, præter *Tanti, Quanti, Pluris* & *Minoris.*

Emi librum duobus assibus. Hic equus constitit centum libris. Conduxi domum alienam duodecim coronatis; & locavi meam viginti.
Quanti emisti librum? Minoris, quam revendam. Demosthenes docuit neminem minoris talento. Sic, *Tantidem vendidi, quanti emi.* &c.
At si addantur Substantiva, in Ablativo ponendum; ut, *Quanto pretio indicas librum illum? Quantâ pecuniâ vendis equum istum?* Sed hæc rarius.

Materia ex qua aliquid fit, ponitur in Ablativo cum Præpositione *De, E*, vel *Ex.*

Homo factus est de limo terræ. Calix fit ex auro, è ligno, &c.

Instrumentum, quo aliquid fit, ponitur semper sine Præpositione in Ablativo.

Adortus est me stricto gladio. Petiit me saxo. Feriit me pede.

Clavum clavo pellitur, &c. Cave dicas, *Cum ſtrictо gladio*, &c.

Inſtrumenta dici poſſunt & hæc; *Conficior dolore, inedia, ſiti*, &c. Item, *Proſequor te odio, amore: Afficio te honore, contumelia. Laceſſo te verbis aſperis*, &c.

Modus, quo aliquid fit, ponitur in Ablativo.

Arte, non dolo te vici. Joco dixi, non ſeriò. Tuli aquo animo. Locutus ſum claræ voce. Doceo meo more.

De Ablativo abſolutè poſito.

1. Quoties duæ orationes ita concurrunt, ut altera habeat hujuſmodi particulam *Cum, Dum, Si, Poſtquam*, &c. ea eleganter plerunque convertitur in Ablativum abſolutè poſitum, qui nec regit, nec regitur; ut, *Cum præceptor abeſt, ludunt diſcipuli*: dic, *Abſente præceptore, ludunt diſcipuli. Dum regnaret Auguſtus, natus eſt Chriſtus*: dic, *Regnante Auguſto, natus eſt Chriſtus*, &c.

2. Hic advertas diverſas eſſe perſonas, ſeu res, ut in exemplis allatis videre eſt. Interdum tamen eadem eſt perſona; ut, *Me Conſule, id feci*, Cic. Vulgo dicitur, *Conſul id feci*, i. e. *cum eſſem Conſul. Laudator temporis acti ſe puero.* Hor. de Sene.

3. Non licet tamen orationem hanc ſic convertere: *Cum ſcripſero epiſtolam, tradam tibi perlegendam: Scriptâ epiſtolâ, tradam tibi perlegendam*; ſed, *Scriptam epiſtolam tibi perlegendam tradam.*

4. Interdum ponitur Participium præteriti temporis ſine Nomine ſemper in Neutro genere; quia reliqua phraſis ſupplet locum Subſtantivi; ut, *Audito Regem in Siciliam tendere*, Sal. id eſt, *eum auditum eſſet*, &c. *Roma nondum cognito, qui fuiſſet exitus*, Tacit. id eſt, *eum nondum cognitum eſſet*, &c.

De uſu quarundam vocum indeclinabilium.

1. *Quanquam, Quanvis, Licet, Etſi, Etiamſi, Tametſi*, Indicativo vel Subjunctivo præponuntur: *Quanquam ſumus pauperculi, eſt domi, quòd edamus*, Plaut. *Quod turpe eſt, quanvis occultetur, tamen honeſtum nullo modo fieri poteſt*, Cic. &c. Num vero Indicativum, an Subjunctivum ſæpius poſtulent, uſu melius quam præceptis diſcitur.

2. *Quando, Quandoquidem, Quoniam*, Indicativo præponi ſolent:

ſolent: *Quando ego non curo suum, ne tu cura meum*, Ter.

3. *Quippè* Indicativo præponitur; ſed cum adjunctum habet *Qui, quæ, quod*, vulgo Subjunctivum poſtulat; ut, *Iſti non habenda eſt fides, quippe pejeravit*; vel, *quippe qui pejeraverit. Sorori non habenda eſt fides, quippe quæ pejeraverit.*

4. Sic *Utqui, Utpote qui*, Subjunctivo præponuntur; ut, *Fratri tuo non credendum eſt, utpote qui mentitus ſit.*

5. *Quin* Subjunctivum poſtulat: *Non dubium eſt quin uxorem nolit filius*, Ter.

6. *Quin* pro *Cur non* Indicativum habet; ut, *Quin taces?*

7. *Antequam* & *Priuſquam* Indicativum vel Subjunctivum: *Priuſquam pereo*, Ter. Hæ voces eleganter ſic dividuntur; *Literas prius ſcias, oportet, quam ſyllabas.*

8. *Sicut, Sicuti, Quaſi, Tanquam, Utcunque*, cum utroque modo reperies: *Tanquam feceris ipſe aliquid*, Ter.

9. *Cum*, vel *Quum, Ni, Niſi, Si, Sin, Siquidem*, utrique modo præponuntur; ſæpius tamen Subjunctivo: *Cum fueris felix, multos numerabis amicos. Mirum, ni domi eſt*, Ter.

10. *Utinam, O*, vel, *O ſi*, Subjunctivum ſemper poſtulant: *Utinam ſaperem ſatis.*

11. *Ne* prohibendi particula Subjunctivo vulgo, Imperativo rarius præponitur: *Ne time*, vel *timeas.*

12. *Ac, Atque, Quam*, ſequuntur *Aliter, Secus, Contra, Perinde, Æque*; ut, *Non ſecus eum diligo, ac ſi meus eſſet frater*, Ter.

13. *Cum* minus, *Tum* majus ſignificat: *Odit cum literas, tum virtutem*; id eſt, *odit literas, & quod majus eſt, virtutem:* vel, *odit quidem literas, ſed præcipuè virtutem.*

14. *Tum Tum* valent idem quod *Et Et: Petrus eſt tum doctus, tum pius.*

15. *Et* in ſecundo loco valet *Etiam: Non hoc ſolum, ſed & illud*, i. e. *ſed etiam illud.*

16. *Nedum* in oratione affirmativa jungitur rei minoris momenti; in negativa vero rei majoris: *Effunderem pro te ſanguinem, nedum pecuniam. Non effunderem pecuniam, nedum ſanguinem.*

17. *Tot & Quot, Tantum & Quantum, Toties & Quoties, Tam & Quam, Æque & Ac* ſeu *Atque* in oratione conjungi ſolent: *Non ſunt in cælo tot ſtellæ, quot in mare guttæ. Petrus æque doctus eſt, ac Joannes*, &c.

Discrimen inter Quando & Cum.

Quando interrogativè utimur, *Cum* non interrogativè; ut, *Quando discessit pater? quando redibit?* &c. *Cum fueris felix, multos numerabis amicos. Cum perlegero librum tuum, tibi restituam,* &c.

Discrimen inter Hactenus & Jam.

Hactenus tempus præteritum & continuatum denotat: *Jam* præteritum quidem, sed non continuatum significat; ut, *Hactenus cessavimus, postea diligentiores erimus: Hactenus de Nomine Tractatum jam vel nunc ad Verbum procedamus,* &c. *Jam prandi, cœnavi,* &c. *Jam scripsi epistolam,* &c.

Discrimen inter Jam, Modo, Nuper, Mox, Brevi, Statim.

Nuper de præterito tantum, *Jam* & *Modo* etiam de præsente; *Mox, Brevi, Statim,* de futuro solum dicuntur; ut, *Pater nuper rediit ex Gallia, Jam rediit ex curia; Præceptor mox, brevi, statim aderit.*

Ut.

1. *Ut*, pro *Quam, Postquam, Quomodo*, Indicativum postulat; *Ut male cum metuo*; Ter. *Ut regem vidit.* Virg. *Ut vales.*

2. *Ut* pro *Quamvis* & *Utinam* Subjunctivum: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Ut te Dii perdant,* Ter. Sed hic forte supprimitur Verbum aliquod; *Oro vel precor, ut te Dii perdant:* de quo alias.

3. *Ut* ponitur pro *Ne*, vel *Ne non* post Verba Timendi; *Metuo, ut substet hospes*, Ter. *Ne* ergo ad fugienda, *Ut*, vel *Ne non* ad cupita pertinent; ut, *Vir amicus metuit, ne ager moriatur; qui hæreditati inhiat, metuit*; *ut*, vel, *ne non moriatur.* Nescio tamen, an hoc sit perpetuum.

Discrimen inter Ut & Quod.

1. *Ut*, causam finalem; *Quod*, efficientem denotat; *Veni huc, ut Latinè loqui discerem. Lætatur mater tua, quod diligens sis in studiis.*

2. *Ut*,

2. *Ut*, ſemper Subjunctivum; *Quod*, Subjunctivum, vel Indicativum poſtulat. *Jubet pater, ut ad ſe venias. Gaudeo, quod vales*; vel, *valeas*.

3. *Ut*, ſæpe ſupprimitur; *Quod*, nunquam: *Fac, ad me veniat frater*: ſed non, *Gaudeo, vales*.

4. *Ut*, convertitur in *Qui*; *Quod* in *Quia*: *An adeo ignarus es, ut hæc neſcias*; vel, *qui hæc neſcias*. *Gaudeo, quia vales*. Hic obſerva, non ponendum eſſe Subjunctivum; *Gaudeo, quia valeas*, dicendum non eſt.

5. *Ut*, poſtponitur *Tam, Tantus, Talis, Tot, Adeo, Ita, Sic*; non *Quod*. *Tam doctus eſt, ut nemini cedat. Talis eſt, ut omnibus ſit admirationi.*

6. Utrumque per Infinitivum convertitur; ut, *jubeo, ut ſcribas*; vel, *jubeo te ſcribere*. *Gaudeo te valere.*

Annotatiuncula.

1. Præſens Subjunctivi inſervit Præſenti & Futuro Indicativi; Imperfectum omnibus reliquis, ut, *Pater jubet, vel jubebit, ut ad ſe venias: jubebat, juſſit, & juſſerat, ut ad ſe venires.*

2. Attamen ſi ſermo fiat de actione adhuc duranti, ponas præſens Subjunctivi, licet perfectum præceſſerit; ut, *Orare juſſit Deum, ut ad ſe venias*, Ter. *Ea ne me celet, conſuefeci filium*, Id.

De RECIPROCATIONE;

Seu de Sui, Suus, Ipſe, Is, Ille, *quatenus reciprocantur ad voces præcedentes.*

1. *Petrus dixit ſe venturum*, eſt *Petrus*, qui veniet. *Petrus dixit eum, vel illum venturum*; eſt *Jacobus*, qui veniet. *Petrus dixit aliquid mali ſibi contigiſſe*; malum contigit *Petro*: *Petrus dixit aliquid mali illi vel ei contigiſſe*; malum accidit *Jacobo*.

2. *Petrus amat ſuum patrem*, eſt pater *Petri*; *ejus patrem*, eſt pater *Jacobi*.

3. At in hiſce & ſimilibus; *Petrus percuſſit Jacobum gladio ſuo*; *Petrus juſſit, ut Jacobus veniret ad patrem ſuum*, ambigitur, cujus ſit gladius, & cujus pater; *Petri* an *Jacobi*. Hic conſideretur, quis ſit Nominativus principalis Verbi; ad hunc enim vulgo refertur *Sui* & *Suus*; *Petri* ergo eſt pater & gladius, ſi *Jacobi* fuiſſent:

Discrimen inter Quando & Cum.

Quando interrogativè utimur, *Cum* non interrogativè; ut, *Quando discessit pater? quando redibit?* &c. *Cum fueris felix, multos numerabis amicos. Cum perlegero librum tuum, tibi restituam*, &c.

Discrimen inter Hactenus & Jam.

Hactenus tempus præteritum & continuatum denotat: *Jam* præteritum quidem, sed non continuatum significat; ut, *Hactenus cessavimus, postea diligentiores erimus: Hactenus de Nomine Tractatum jam vel nunc ad Verbum procedamus*, &c. *Jam prandi, cœnavi*, &c. *Jam scripsi epistolam*, &c.

Discrimen inter Jam, Modo, Nuper, Mox, Brevi, Statim.

Nuper de præterito tantum, *Jam* & *Modo* etiam de præsente; *Mox, Brevi, Statim*, de futuro solum dicuntur; ut, *Pater nuper rediit ex Gallia, Jam rediit ex curia; Præceptor mox, brevi, statim aderit.*

Ut.

1. *Ut*, pro *Quam, Postquam, Quomodo*, Indicativum postulat; *Ut male eum metuo*; Ter. *Ut regem vidit.* Virg. *Ut vales.*

2. *Ut* pro *Quamvis* & *Utinam* Subjunctivum: *Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas. Ut te Dii perdant*, Ter. Sed hic forte supprimitur Verbum aliquod; *Oro vel precor, ut te Dii perdant:* de quo alias.

3. *Ut* ponitur pro *Ne*, vel *Ne non* post Verba Timendi; *Metuo, ut subsiet hospes*, Ter. *Ne* ergo ad fugienda. *Ut*, vel *Ne non* ad cupita pertinent; ut, *Vir amicus metuit, ne ager moriatur; qui hæreditati inhiat, metuit; ut*, vel, *ne non moriatur.* Nescio tamen, an hoc sit perpetuum.

Discrimen inter Ut & Quod.

1. *Ut*, causam finalem; *Quod*, efficientem denotat; *Veni huc, ut Latinè loqui discerem. Lætatur mater tua, quod diligens sis in studiis.*

2. *Ut*

2. *Ut*, ſemper Subjunctivum; *Quod*, Subjunctivum, vel Indicativum poſtulat. *Jubet pater, ut ad ſe venias. Gaudeo, quod vales*; vel, *valeas*.

3. *Ut*, ſæpe ſupprimitur; *Quod*, nunquam: *Fac, ad me veniat frater*: ſed non, *Gaudeo, vales*.

4. *Ut*, convertitur in *Qui*; *Quod* in *Quia*: *An adeo ignarus es, ut hæc neſcias*; vel, *qui hæc neſcias*. *Gaudeo, quia vales*. Hic obſerva, non ponendum eſſe Subjunctivum; *Gaudeo, quia valeas*, dicendum non eſt.

5. *Ut*, poſtponitur *Tam, Tantus, Talis, Tot, Adeo, Ita, Sic*; non *Quod*. *Tam doctus eſt, ut nemini cedat. Talis eſt, ut omnibus ſit admirationi.*

6. Utrumque per Infinitivum convertitur; ut, *jubeo, ut ſcribas*; vel, *jubeo te ſcribere. Gaudeo te valere.*

Annotatiuncula.

1. Præſens Subjunctivi inſervit Præſenti & Futuro Indicativi; Imperfectum omnibus reliquis, ut, *Pater jubet, vel jubebit, ut ad ſe venias: jubebat, juſſit, & juſſerat, ut ad ſe venires.*

2. Attamen ſi ſermo fiat de actione adhuc duranti, ponas præſens Subjunctivi, licet perfectum præceſſerit; ut, *Orare juſſi hera, ut ad ſe venias*, Ter. *Ea ne me celet, conſuefeci filium*, Id.

De RECIPROCATIONE;

Seu de Sui, Suus, Ipſe, Is, Ille, *quatenus reciprocantur ad voces præcedentes.*

1. *Petrus dixit ſe venturum*, eſt *Petrus*, qui veniet. *Petrus dixit eum, vel illum venturum*; eſt *Jacobus*, qui veniet. *Petrus dixit aliquid mali ſibi contigiſſe*; malum contigit *Petro*: *Petrus dixit aliquid mali illi vel ei contigiſſe*; malum accidit *Jacobo*.

2. *Petrus amat ſuum patrem*, eſt pater *Petri*; *ejus patrem*, eſt pater *Jacobi*.

3. At in hiſce & ſimilibus; *Petrus percuſſit Jacobum gladio ſuo*; *Petrus juſſit, ut Jacobus veniret ad patrem ſuum*, ambigitur, cujus ſit gladius, & cujus pater; *Petri* an *Jacobi*. Hic conſideretur, quis ſit Nominativus principalis Verbi; ad hunc enim vulgo refertur *Sui* & *Suus*; *Petri* ergo eſt pater, & gladius; & ſi *Jacobi* fuiſſent:

fuissent; dixisse oportebat, *Ejus*, vel *Illius*. Idonea ad hanc rem illustrandam est illud Cæsaris; *Ei legationi respondet Ariovistus, si quod ipsi à Cæsare opus esset, sese ad eum venturum fuisse; si quid ille velit, illum ad se venire oportere. Se* & *Ipse* ad *Ariovistum* principalis verbi Nominativum; *Is* & *Ille* ad *Cæsarem* referuntur.

4. At diligenter notandum hoc non fieri, cum Verbum principale est primæ vel secundæ personæ; ut, *Vidi Jacobum ambulantem in domo sua. Vidisti Petrum dormientem in lecto suo*, Semper enim fit reciprocatio ad tertiam personam.

5. Postremo, Si nullus sit dubitandi locus, indifferenter fere usurpantur *Sui*, *Is*, vel *Ille*. *Locutus sum Petro in domo sua*, vel *ejus*. *Cepi passerem in nido cum pullis suis*, vel *ejus*.

Discrimen inter Hic *&* Ille.

1. *Hic* proprius, *Ille* remotius respicit; id est, *Hic* repetit proxime dictum; *Ille*, quod prius dicebatur; ut, *Petrus & Jacobus peregrè profecti sunt, hic in Galliam, ille in Italiam. Jacobus* igitur Galliam petiit, *Petrus* Italiam.

2. Interdum apud Poetas aliter videre est; ut,

Quocunque aspicio nihil est, nisi pontus & æther;
Fluctibus hic tumidus, nubibus ille minax, Ovid.

Discrimen inter Ille *&* Iste.

1. *Iste* vulgò contemnit, *Ille* laudat: *Iste nebulo, Ille puer pulchræ formæ.*

De Figuris Constructionis.

1. Figura est forma loquendi à trito & vulgari modo remota, seu differens; estque triplex, *Dictionis*, *Locutionis* & *Constructionis*.

2. Dictionis est, quæ fit in voce; cum scilicet additur, vel demitur litera aut syllaba; ut, *Nosti* pro *novisti*; *Retulit* pro *rettulit*: de quo in prima parte jam actum.

3. Lo-

3. Locutionis est, quæ circa aliquem loquendi modum versatur; cum scilicet vox à propria in alienam significationem transfertur; ut, *Petrus est vulpes*; id est, *Cautus*. Nam si *Vulpes* in propria significatione sumeretur, falsa esset oratio. Atque hoc ad Rhetoricam, non Grammaticam attinet.

4. Figura constructionis est, quæ circa constructiones Grammaticales versatur: de qua hic.

5. Omnes autem constructionis figuræ ad quatuor aut quinque reduci possunt: *reliquæ* (inquit doctissimus *Sanctius*) *monstrosi tantum sunt Grammaticorum partus*; Lib. 4.

6. Vel vox aliqua deest; hinc *Eclipsis*: vel redundat, inde *Pleonasmus*: vel vocum sensus, seu significationis ratio præcipuè habetur, & non earum accidentia Grammaticalia respiciuntur, hinc (ut quidam volunt) *Synesis*: (ut alii) *Synthesis*, *Syllepsis*, aut *Conceptio*. Vel denique invertitur vocum ordo seu dispositio, hinc *Hyperbaton*.

De Eclipsi.

Eclipsis, vel Ellipsis est defectus seu prætermissio vocis ad legitimam orationis structuram necessariæ: estque duplex; vel enim supprimitur vox, quæ in oratione nusquam reperitur; vel, quæ ibidem exprimitur; quæ *Zeugma* vulgò audit, aut *Prolepsis*.

De ECLIPSI.

Ubi supprimitur vox, quæ in oratione nusquam reperitur.

1. Nulla est orationis pars, quin supprimi possit; idque venustè & eleganter, nisi subauditio obscuritatem pariat.

2. Nomen. *Ubi ad Diana veneris*; Sup. *Templum*, seu, *Ædem*, Ter. *Paucis dicam*, Sup. *Verbis*. Atque fere semper reperies hæc Adjectiva sine Substantivo, *Ferina*, *Bubula*, *Vitulina*, *Suilla*, &c. Sup. *Caro*. Sic, *Laboro tertianâ*, Sup. *Febri*. Item, *Discrucior animi*, Supprimitur forte, *Dolore*. *Miserere mei*, Sup. *Conditionem*, &c.

3. Pro-

3. Pronomen. *Memini videre*; Sup. *Me. Dixit & averſens roſea cervice refulſit*; pro *Se averſens*, Virg. *Tu* & *Ego* fere ſemper ſuppriminuntur, ut alibi dictum.

4. Verbum. *Dii meliora*; Sup. *Dent vel faciant*, Ter. *Sed vos qui tandem?* Sup. *Eſtis*, Virg. *Quid veſtra?* Sup. *Refert*, vel *Intereſt*. *Nihil aliud, quam luditis*; Sup. *Facitis bene Ennius*; Sup. *Dixit*, *Cui ille*; Sup. *Reſpondit*.

5. Partjcipium. *Qui oneri ferendo eſſent*; Sup. *Sufficientes*, Liv. *Divitiacus obſecrare cœpit, ne quid gravius in fratrem ſtatueret*; *ſcire ſe illa eſſe vera*; Sup. *Dicens*, vel *faſſus*, Cæſ.

6. Adverbium. *Oratio fuit precibus, quam jurgio ſimilis*, Sup. *Magis*. Sed admodum raro hoc fit.

7. Conjunctio. *Ludere par impar*; pro *Par & impar*, Hor. *Dum ætas, metus, magiſter prohibebant*; Ter. &c.

1. Præpoſitio. *Decimo quarto Calendas Januarii: quarto Nonas: tertio Idus*; Sup. *Ante*, Cic. *Nunc id prodeo*, Sup. *Ob id*, Ter. *Ære cavo clypeus fit*; pro *Ex ære*, Virg.

9. Interjectio. *Me miſerum*. Supprimitur (ut aiunt) *O* vel *heu*. Quidam malunt ſubintelligi *Sentio* vel *video*. Per nos utrumlibet eligas; ut alibi innuimus.

Obſervatiuncula.

1. Dubitant nonnulli num Verbum aliquod hic ſupprimatur, necne. *Romani feſtinate*, Salluſt. *Omnes mihi invidere, & mordere*; *Ego autem flocci pendere*, Ter. Quidam aiunt Infinitivum in hiſce & ſimilibus poni pro Indicativo; *Feſtinare* pro *feſtinabant*, aut *feſtinaverunt*: *Mordere* pro *mordebant*, &c. Alii ſupprimunt *Cœperunt*, & *Cœpi*; *Romani cœperunt feſtinare*, &c. Certo conſtat voces ſæpe ſupprimi; Infinitivum autem pro Indicativo poni non item. Sed Lectoris eſto judicium.

2. *Adeone hominem eſſe invenuſtum, aut infelicem quenquam, ut ego ſum*, Ter. Supprimi hic videtur *Credas, putes, fieri poteſt*: aut aliquid ejuſmodi.

3. Quid autem apud eundem (Act. 3. Scen. 2. Eunuch.) Supprimatur nos omnimodo latere non pudet aperte confiteri: *Ego illum, Eunuchum, ſi ſit opus, vel Sobrius.*

4. Dubitatur etiam, quid in hiſce & ſimilibus ſupprimatur.

Turpe

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor, Ovid. *Triſte lupus ſtabulis*, Virg. *Fama malum, quo non aliud velocius ullum.* Quidam aiunt hæc Adjectiva fieri Subſtantiva; & ſic reſolvunt, *Senex miles eſt turpis res*, &c. Alii ſubintelligunt *Negotium*, aſſerentes *Res* & *Negotium* idem ſignificare. *Plura ſunt Negotia, quam vocabula*, Ulpian. de rebus loquens.

DE ECLIPSI.

Ubi ſupprimitur vox, quæ ibidem exprimitur; quod Zeugma *vel* Prolepſis *dici ſolet.*

1. *Ille timore, ego riſui corrui*; Sup. *Corruit*, Cic. *Hic illius arma, hic currus fuit*; Sup. *Fuerunt*, Virg. *Sociis & Rege recepto*; Sup. *Receptis*, Id. *Iratus Rex eſt Reginaque*; Sup. *Eſt irata. Aquilæ volarunt; hæc ab Oriente, illa ab occidente*: ſc. *hæc volavit ab Oriente, illa volavit ab Occidente.*

De Pleonaſmo.

1. Pleonaſmus, i. e. Redundantia, eſt cum vox aliqua redundat; ut, *Potius* apud Cic. *Se ab omnibus deſertos potius, quam abs te defenſos malunt.* Sic *Fre* aut *Ante* apud Ter. *Oportebat me præciſſe ante.* Scias tamen hujuſmodi voces Emphaſin quandam ſignificare.

De Syneſi.

1. Syneſis eſt, cum conſtruuntur voces quoad ſenſum, & ſignificationem; ut, *Uterque fecerunt.* Per *Uterque* intelligo Petrum & Joannem. *Pars merſi tenuere ratem*, Virg. *Pars in carcerem acti, pars beſtiis objecti*, Sal. *Samnitium duo millia cæſi*, Liv. *Ubi ſcelus, qui me perdidit*, Ter.

De Hyperbato.

1. Hyperbaton eſt cum vulgaris vocum ſitus invertitur; ut, *Maria omnia circum*, Virg. pro *Circum omnia maria.*

2. Huc (ſi placet) referas cum vox aliqua dividitur, ſeu in partes ſcinditur, quam figuram *Tmeſin* vulgo appellant; ut, *Quocunque* apud Hor. *Quo me cunque rapit tempeſtas.*

De Græcismo.

1. Græcismus est figura, qua Latini Græcas constructiones sequuntur: ut cum Nominativus ponitur pro Accusativo: *Tutumque putavit jam bonus esse Socer*, pro *bonum socerum*, Luc. *Sed enim quia retulit Ajax esse Jovis Pronepos*; pro *Pronepotem*, Ovid.

2. Item, cum Dativus ponitur pro Accusativo: *Voluptati mœror sequitur*, pro *Voluptatem*, Plaut. Apud Græcos enim Verba sequendi regunt Dativum. Sic, *Alienis rebus curas*; pro *alienas res*, Id.

3. Diligenter notandum hasce loquendi formulas nequaquam esse imitandas. Sunt quidem Græcæ constructiones ubique & omnibus licitæ; ut, *Id ætatis jam sumus, ut omnia fortiter ferre debeamus*; pro (ut aiunt) *Ejus ætatis. Profectus est id temporis*, pro *Eo tempore*, Id.

4. Sunt, qui hic intelligendum volunt vocem Græcam Κατὰ, i. e. *Secundum*: quod apud Poetas Latinos communissimum est: *Cætera Graius*, Virg. id est, *quoad cætera*, vel *secundum cætera*, aut *in cæteris*. *Os humerosque Deo similis*, Id. id est, *Secundum os & humeros*. Sic, *Petrus vulneratur caput*; *truncatur brachium*, &c. i. e. Κατὰ, seu *secundum caput & brachium*. Vulgò docetur hæc poni in Accusativo per *Synecdochen*, ut alibi dictum.

Annotatiuncula.

1. Ex dictis patet, quam lubrico fundamento innitatur vulgaris illa figura *Antiptosis*; quâ Casus pro Casu, Modus pro Modo substituitur. *Antiptosi*, *Grammaticorum* (inquit *Sanctius*) *nihil imperitius*; *quod figmentum si esset verum, frustra quæreretur, quem casum Verba regerent. Abuti operam*; *Fungi officium*, non ponitur hic Accusativus pro Ablativo, ut vulgò docetur; sed hæc Verba interdum cum Accusativo construuntur.

De Anglicismo.

1. Omnium figurarum in scholis communissima est *Anglicismus*, vel potius, *Scoticismus*, quâ pueri linguam nostram vernaculam, vulgarem loquendi normam faciunt; ut, *Ille non est apud Scholam*: pro, *Ille non est discipulus*: vel, *non dat operam literis*: *non militat sub ferula præceptoris nostri*, &c. *Clama supra illum*, pro *Voca illum*.

Ibam

Iham dicere, pro, *Dicturus eram*. *Faciam te tam bonum*, pro, *Par pari tibi referam*. *Faciam contra dentes tuos*; pro, *Faciam te invito*; cum innumeris aliis.

De ordine Compoſitionis.

1. Ordo compoſitionis eſt, quem ipſi ſcriptores habent: eſtque arbitrarius, vel certis legibus reſtrictus. De priore nihil hic dicemus: præſtat enim ex optimis Authoribus diſcere, quam præceptis Grammaticis deſcribere: & de paucis tantum vocibus peculiarem ſibi ſitum vendicantibus agemus.

2. *Autem*, *Enim*, *Vero*, *Quidem*, *Quoque*, ſecundum in oratione locum habere ſolent; ut, *Petrus autem dixit*: *Petrus enim fecit*; & non, *Autem Petrus dixit*: *Enim Petrus fecit*.

3. *Nam* & *Sed* primum locum obtinent: *Nam pater juſſit*; & non, *Pater nam juſſit*.

4. *Que*, *Ve*, & *Ne*, Interrogativum aliis vocibus ſemper annectuntur: *Dixitque*, *Legive*, *Tune*.

5. Aliæ etiam ſunt non tam voces, quam ſyllabæ, quæ non leguntur, niſi in compoſitione; ut, *Dam*, *Cunque*, *Ce*, *Met*, &c. *Quidam*, *Cunque*, *Hujuſce*, *Egomet*, &c.

De Ordine Reſolutionis.

1. Ordo reſolutionis eſt, quo in Authoribus interpretandis, ſeu explicandis utimur: qui etiam varius eſt; tot enim modis reſolvitur oratio aliqua, quot lingua, in quam convertitur, admittit: ideoque ex vernacula lingua pendet reſolutionis ordo.

2. Vulgò tamen initium fit ab hiſce vocibus (modo in oratione ſunt) *O*, *Ab*, *Si*, *Cum*, *Dum*, *Poſtquam*, &c. Dein ad Vocativum tranſitur; inde ad Nominativum ante Verbum; hinc ad Verbum principale; poſtremò ad Caſus à Verbo rectos; ut, apud Buch. Pſ. 7. *In te ſalutis ſpem poſui meæ, ſervator orbis*. Sic reſolve, *O ſervator orbis, ego poſui ſpem meæ ſalutis in te*.

Exceptiones.

1. Cum interrogamus, caſus rectus præcedit, & Nominativus Verbum à tergo ſubit; ut, *Quem quæris? Cui loqueris? Quantum pecuniæ habes?* &c.

2. Item Relativa Verbo præcedunt; ut, *Hic eſt liber, quem amiſiſti*. *Talis ſum, qualem me creavit Deus*.

3. In

3. In Imperativo Nominativus Verbum ſequitur; *Scribe tu epiſtolam.*

4. Adjectivum Subſtantivo præponi ſolet; niſi cum tranſeat in alium caſum; ut, *Vir ignarus omnium:* aut ſit Participium; ut, *Præceptor docet ambulans:* vel denique ſit Gentile; ut, *Buchananus Scotus.*

TERTIA PARS GRAMMATICÆ.

De Literis.

1. Literæ ſunt *A, B, C, D, E, F, G, I, J, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, V, X, Y, Z.*

2. *A, E, I, O, U, Y, Vocales*; reliquæ *Conſonantes* appellantur: Ex Vocalibus ſit Diphthongus.

3. Diphthongus eſt contractio quarundum vocalium in unam ſyllabam; nempe, *æ; ai, au, ei, eu, oe, oi,* & *yi*; ut, *Cæſar, Maia, Audio, Eia, Eurus, Cælum, Troia, Harpyia.*

4. Hinc *ua, uo, ui, ue,* &c. in unam ſyllabam contractæ diphthongi non ſunt; ut, *qua* in *Quatio*; *quor* in *Loquor*; *qui* in *Loquimur*; *ſue* in *Conſuetus.*

Conſonantes ſunt vel { *Mutæ*; *b, c, d, f, g, k, p, q, t.* / *Liquidæ*; *l, m, n, r.* / *Duplices*; *j, x, z.* }

6. *I* & *U* nunc vocales, nunc conſonantes ſunt; ut in hiſce vocibus *Jovis* & *Virtus*: in *Jovis* prius *i* eſt conſonans, poſterius vocalis: in *Virtus* prius *u* eſt conſonans, poſterius vocalis.

7. *H* in tertia parte litera non habetur; ideoque *E* in *Vebo* dicitur immediatè præcedere *O*; ut poſtea docebitur.

De

De Syllabis.

1. Vocalis ex se facit syllabam; ut, *Eo* disyllabum; Consonans vero non nisi ope vocalis; ut. *C N* per se syllabam non constituunt; interpone *O*, fit *Con*. Hinc *Consonans* dicitur, quia una cum vocali sonat.

2. Idcirco vocalis, non consonantis quantitatem consideramus; ita, ut idem sit quærere, quanta sit *a* in *Pater*, ac *pa* in *Pater*. Vulgo tamen integram syllabam pronunciamus, ne respondenti detur dubitandi locus, quæ sit vocalis, cujus quantitatem rogamus; si binæ in voce extent, ut, in *Tollo*; non dicendum, quanta est *O* in *Tollo*; sed *Tol*, vel *Lo*.

3. Tertiæ igitur Grammaticæ pars agit de syllabarum quantitate.

4. Quantitas est mensura syllabæ.

5. Syllaba est longa, brevis, vel anceps, seu communis, i. e. nunc longa, nunc brevis.

6. Longa duo continet tempora, seu magnam habet moram inter pronunciandum; ut, *ma* in *Amare*, & sic notari solet (-).

7. Brevis unum continet tempus, seu parvam habet moram inter pronunciandum; ut, *ge* in *Legere*; & sic notatur (⏑).

8. Communis interdum magnam, interdum parvam habet moram in Versu; in Prosa semper parvam; ut, *lu* in *Voluerit*.

Regulæ.

Diphthongus longa est.

1. *Audio, Aut, Haud. Eurus. Cœlum, Præsum*, &c.

2. Excipe *Præ* ante aliam vocalem; ut, *Præit, Præustus*, &c.

Vocalis longa est positione, quam sequuntur duæ consonantes, aut unica duplex.

1. *Mars, Castra, Bellum, Annus, Mamma, Servus, Injustus, Respondeo, Nescio, Regnum, Stagnum.*

2. *Rex, Lex, Dixit, Gaza, Horizon, Major, Pejor*, &c.

3. Fit etiam positio in diversis dictionibus; cum scilicet prior dictio desinit in consonantem, & sequens à consonante incipit; ut, *In, Tum, Per*, & *Mus*, sunt longæ positione in hoc versu.

Nitimur in vetitum semper cupimusque negata, Ovid.

Exceptio.

Vocalis naturâ brevis, quam muta & liquida sequuntur in eadem syllaba, in versu est anceps, in prosa brevis.

Patris, Agri, Tenebræ, Volucris, Repleo, Stilus, &c.

Duæ necessariæ conditiones.

1. Prior. Oportet ut hæc vocalis sua natura sit brevis, alioquin corripi nequit; ut, *Pa* in *Pater*: *A* in *Ager*: *Lu* in *Volucer* breves sunt: ideoque *Pa* in *Patris*, *A* in *Agri*, *Lu* in *Volucris* communes sunt. At *A* in *Mater*, *Frater*, *Acer*, *Ater*, longa est; ideoque longa etiam sit, oportet in *Matris*, *Fratris*, *Acris*, *Atri*.

2. Posterior conditio. Oportet, ut muta & liquida sint in eadem syllaba; & neutra in syllaba cum vocali; ut, *Pa-tris*, *A-gri*, non *Pat-ris*, *Ag-ri*: Sic enim longæ essent positione. Atque hinc est, quod *Ob* in *Obligo* & *Obruo* producatur; quia *b* in eadem est syllaba cum vocali, non cum liquida: de quo in Orthagraphia.

3. Præterea, hæc regula intelligenda tantum est de liquidis *L* & *R*, in Latinis vocibus; in Græcis quidem de *M* & *N* etiam: Nam *A* in *Agmus*, *Ag* in *Regnum*, *Sta* in *Stagnum*, &c. longæ sunt positione, licet & muta & liquida sint in sequente syllaba. Græcæ quidem voces interdum corripiunt; ut, *Cygnum*, *Pregne*, &c.

Vocalis ante vocalem brevis est.

Deus, *Pius*, *Dies*, *Mihi*, *Nihil*, *Trahe*, *Veho*, &c. *H* enim (ut dictum) litera hic non habetur.

Exceptiones,

1. Producitur in Verbo *Fio*, nisi ubi *r* sequitur post *e*: ut, *Fio*, *fiebam*, *fiam*, *fient*, &c. At in *Fieri*, *fierem* breve est.

2. Producitur etiam *e* inter geminum *i* in quinta declinatione; ut, *Speciei*, *Faciei*, *Diei*.

3. Adjectiva formantia Genitivum in *ius*, in prosa longam; in versu communem faciunt vocalem; ut, *Illius*, *Unius*, *Utrius*, &c. At *Ii* in *Aliis* (in Genitivo) semper longum. *ri* in *Alterius* breve.

4. *O*

4. *O* in *Obe* anceps, *E* in *Ebeu* longum.

5. Vocalis ante vocalem in Græcis dictionibus est incerta: vulgo tamen producitur; ut, *Aer, Amphion, Arion, Darius, Latria.*

Præterita & Supina disyllaba producunt priorem.

Risi, risum: Vidi, visum: Ludi, lusum, &c.

Exceptiones.

1. Brevis est prior syllaba in *Bibi, Dedi, Fidi, Scidi, Steti, Tuli.*

2. Item in *Datum, Citum, Itum, Litum, Quitum, Ritum, Rutum, Satum, Situm*; à *Do, Cieo* (nam *Citum* à *Cio* longum est) *Eo, Lino, Queo, Reor, Diruo* (nam *Ruo* habet *ruitum*) *Sero, Sino.*

Verba Præteritum geminantia, corripiunt primas duas Syllabas.

1. *Cado cecidi, Tango tetigi, Pello pepuli,* &c. nisi positio alteram syllabam impediat; ut, *Fallo fefelli, Mordeo momordi,* &c.

2. *Cado* & *Pedo* corripiunt tantum priorem, *cecidi, pepedi.*

Annot. in reliqua Verba.

1. Reliqua Verba servant quantitatem in præterito, quam habent in præsente: ut, *Cla* in *Clamo* longum: ergo & *Cla* in *Clamavi*: *Vo* in *Voco* breve, sic in *Vocavi,* &c.

2. Tria excipiuntur; *Gigno, Pono* & *Possum,* quæ in præsente producta, corripiuntur in præterito, *Genui, Posui, Potui.*

3. Supina in *Atum* ab *Avi* producunt syllabam ante *Tum*; ut, *Amo amavi amatum: Clamo clamavi clamatum,* &c.

4. Supina in *Itum* ab *Ivi* producunt syllabam ante *Tum: Peto petivi petitum: Audio audivi auditum,* &c.

5. Quæ ab *ivi* non veniunt, corripiunt; ut, *Agnosco agnovi agnitum: Taceo, tacui tacitum,* &c.

6. Supina in *Utum* producunt; ut, *Induo indutum: Solvo solutum,* &c.

De Cremento Verbi.

1. Crementum Verbi est, cum quævis alia persona plures habet syllabas, quam secunda præsentis Indicativi activæ vocis: estque primum vel secundum.

2. Crementum primum eſt, cum hæc ſecunda perſona exceditur tantum per unicam ſyllabam; ut, *Amas amamus: Audis audivus: loquis* (quaſi à *Loquo*; nam fingendum in Verbis deponentibus) *loquimur*, &c.

3. Secundum eſt, cum exceditur per duas, tres, aut quatuor ſyllabas; ut, *Audis, audiveram, audiveramus, audiebamini.*

4. Obſerva primum crementum ante adventum ſecundi ſemper eſſe in penultima; ſc. *MA* in *Amamus*; *DI* in *Audimus*; ſed cum acceſſerit ſecundum, migrare in antepenultimam, ut *Ma* in *amabamus* primum; eadem nempe ſyllaba quæ fuit in *amamus*; & *Ba* ſecundum: & ſi addatur tertia, aut quarta ſyllaba, ulterius adhuc ſedem movere ſiniſtram verſus; ut in *amabamini*, &c.

A in crementò Verborum eſt longum.

Amamus, Docemus, legamus, Legebamus, Eramus, &c.

Sic *Amabo* tum Verbum, tum Adverbium: ſed neſcio an tale ſit Adverbium.

Unica Exceptio.

Primum crementum in Verbo *Do*, corripitur; ut, *Damus, dabam, dabo, dare*, &c. *Ba* in *Dabamus* producitur, quia eſt ſecundum crementum, &c.

E in crementò Verborum longum eſt.

Amamus, Docemus, Legemus, Legebam, Vellemus, &c.

Exceptiones.

1. Finita in *Eram, Erim, Ero, Berim* & *Bere* corripiuntur; ut. *Amaveram, amaverim, amavero, amaberis* vel *amabere*, &c. Intellige tantum *Beris* & *Bere* primæ & ſecundæ conjugationis in futuro Indicativi: nam producuntur alibi; ut *Abſorbeor abſorberis* vel *bero* in præſente ſecundæ conjugationis: & *Inſcribar inſcriberis*, vel *bere* in futuro tertiæ.

2. Corripitur etiam omne præſens tertiæ conjugationis; ut, *Legeris* vel *legere* in præſente Indicativi: *Legere* in Imperativo: & *Legere* in præſente & Imperfecto Infinitivi.

3. Item primum crementum in Imperfecto Subjunctivi; ut, *Legerem legeremus*; nempe *Ge*, non *Re* in *Legeremus*.

4. Interdum etiam corripitur tertia pluralis perfecti Indicativi; ut, *Steterunt* & *Tulerunt*. Apud Virg. *Ob-*

Obſtupui ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit:
Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

I in crementó Verborum eſt breve.

Amavimus, Docebimus, Legimus, Erimus.

Exceptiones.

1. *I* in primo crementó quartæ Conjugationis producitur; ut, *Audimus, Venimus, Audirem, Venirem, Ibo, Ireni*, &c.

2. Item in his & ſimilibus, *Velimus, Simus, Poſſimus, Poſſitis*, &c.

3. Item præteritum in *Ivi* cujuſcunque conjugationis producit *I* ante *Vi*; ut, *Petivi, petivimus, audivimus*, &c.

4. Verba quartæ conjugationis diſſyllaba in præterito; corripiunt primum crementum, nempe in præterito; ut, *Veni venimus, Senſi ſenſimus*, &c.

5. De *Rimus* & *Ritis* in Subjunctivo multum à Grammaticis contenditur. Vulgo corripiuntur, *Egerimus, egeritis*, &c.

O in crementó Verborum ſemper eſt longum.

Amatote, Legitote, Eſtote, &c.

U in crementó verborum ſemper breve.

1. *Volumus, Nolumus, Sumus, Poſſumus, Quæſumus.*
2. In Participiis quidem longum eſt; *Amaturus, Dicturus*, &c.

De Crementó Nominis.

1. Crementum Nominis eſt, cum Genitivus vel quivis alius caſus plures habet ſyllabas quam Nominativus: eſtque primum vel ſecundum.

2. Crementum primum eſt, cum Nominativus exceditur per unicam tantum ſyllabam; ut, *Caput capitis.*

3. Secundum, cum exceditur per duas, aut forte tres; ut, *Caput capitibus, Anceps ancipitibus.*

4. Primum crementum eſt in penultima, donec accedat ſecundum; & tunc migrat in antepenultimam; ut, *Caput capitis, capitibus.*

5. Prima Declinatio in ſingulari crementum non habet; ut, *Penna pennæ*, &c. De pluralı poſtea, ubi de reliquis.

Secunda Declinatio corripit crementum.

1. *Puer pueri*, *Vir viri*, *Satur saturi*, &c.
2. Excipe ſolum *Iber Iberi*.
3. Notandum eandem quantitatem manere in omnibus caſibus; ut, *Vi* in *Viri* breve, ergo in *Viro virum*, &c.

De Cremento Tertiæ Declinationis.

Finita in *A* corripiunt Crementum.

Thema thematis, *Diadema diadematis*, &c.

Halec halecis longum: ſic, *Mechiſedec*, *decis*. Verum *Halecis* formatur ab *Halex*.

David vulgo *Davidis*, breve: ſic *Bogud bogudis*.

Neutra in *Al*, habent *Alis* longum; Maſculina *Alis* breve: *Elis* & *Olis* longum; *Ilis* & *Ulis* breve.

Hoc *Animal animalis*, Hic *Hannibal hannibalis*, *Sal ſalis*, *Daniel danielis*, *Sol ſolis*, *Vigil vigilis*, *Conſul conſulis*, &c.

Anis, *Enis*, *Onis*, longa; *Inis* breve.

Pæan pæanis, *Res rebis*, *Sermo ſermonis*, *Carmen*, *carminis*, *Homo hominis*, &c.

Exceptiones.

1. *INIS* ab *IN*, producitur; ut, *Delphis* vel *Delphin delphinis*: *Salamin ſalaminis*, &c.
2. Finita in *ON* ſunt admodum incerta: quædam crementum corripiunt; ut, *Canon canonis*, *Dæmon dæmonis*, *Memnon memnonis*, &c. Alia producunt; ut, *Helicon heliconis*, *Babylon babylonis*, &c. De hiſce conſule Poetas.

Maſculina in *AR* habent *ARIS* breve, Neutra *ARIS* longum.

1. Hic *Cæſar Cæſaris*: Hoc *Calcar calcaris*, &c.
2. Excipe *Fubar*, & *Nectar*; *Fubaris*, *Nectaris*, breve.
3. *Hepar*, vel *Hepas hepatis*, breve.

Finita

Finita in *ER*, habent *ERIS* breve.

1. *Carcer carceris*, *Mulier mulieris*, &c.
2. At *Ver veris*, longum.
3. Item Græca quædam; ut, *Crater crateris*, *Serferis*, &c.

Finita in *OR* Maſculina habent *ORIS* longum, Neutra *ORIS* breve.

1. Hic *Amor amoris*, *Timor timoris*, &c.
2. Hoc *Æquor æquoris*, *Marmor marmoris*, &c.
3. *Memor* & *Arbor* breve; *Soror* longum facit *Oris*.
4. Græca in *Or* habent *Oris* breve; ut, *Hector Hectoris*, *Neſtor Neſtoris*, &c.

Finita in *UR* corripiunt crementum.

1. *Guttur gutturis*, *Jecur jecoris*, &c.
2. At *Fur furis* longum.

Finita in *YR* corripiunt crementum.

Martyr, vel *Martur martyros*.

Finita in *AS* formant *Adis* breve; *Atis* longum.

1. *Lampas lampadis*, *Pallas palladis*, *Vas vadis*, &c.
2. *Pietas pietatis*, *Dignitas dignitatis*, &c.
3. At *Anas anatis*, breve.
4. *Mas maris*, breve; *Vas vaſis*, longum.

Finita in *ES* corripiunt crementum.

1. *Miles militis*, *Pes pedis*, *Interpres interpretis*, *Ceres cereris*, &c.
2. Excipe *Merces*, *locuples*, *Manſues*, & *Quies*.
3. Item Græca habentia *etis*; ut, *Magnes magnetis*, *Tapes tapetis*, *Lebes lebetis*, &c.

Finita in *IS* corripiunt crementum.

1. *Lapis lapidis*, *Sanguis ſanguinis*, *Charis charitis*, &c.
2. Excipe *Dis*, *Lis*, *Glis*, *Quiris* & *Samnis*.

Finita in *OS* producunt crementum.

1. *Dos dotis*, *Os oris*, *Cuſtos cuſtodis*, &c.

2. Excipe *Bos, Compos* & *Impos*; *bovis*, &c.

Finita in *Us* corripiunt crementum.

Tempus temporis, Tripus tripodis, Vulnus vulneris, &c.

Exceptiones.

1. Comparativus gradus producit; ut, *Doctius doctioris*, &c.
2. Item, quæ retinent *U* in crementó; ut, *Palus paludis, Tellus telluris, Virtus virtutis*, &c.
3. At *Intercus intercuis, Ligus* (potius *Ligur*) *liguris, Pecus pecudis* corripiunt.

Finita in *S* præcedente conſonante, corripiunt crementum.

1. *Cœlebs cœlibis, Hyems hyemis, Inops inopis, Auceps aucupis*, &c.
2. Excipe *Plebs, Cyclops, Hydrops, Gryps, Cercops.*

Finita in *T* corripiunt crementum.

Caput capitis, Occiput occipitis, &c.

Finita in *X* corripiunt ſyllabam ante *Gis.*

1. *Grex gregis, Conjux conjugis, Remex remigis*, &c.
2. Excipe *Lex, Rex* & *Frux.*

Finita in *Ax* producunt crementum.

1. *Pax pacis, Fornax fornacis*, &c.
2. Excipe *Abax, Climax, Fax, Similax* & *Storax.*
3. Item quædam Græca; ut, *Arctophylax.*

Finita in *Ex* corripiunt crementum.

1. *Nex necis, Vertex verticis*, &c.
2. Excipe *Fex, Halex*, & *Vervex.*

Finita in *Ix* producunt crementum.

1. *Felix felicis, Radix radicis*, &c.
2. Excipe *Calix, Erix, Filix, Fornix, Nix, Pix, Salix, Varix, Vix.*

Finita in *Ox* producunt crementum.

1. *Vox vocis, Ferox ferocis*, &c. 2. Ex-

2. Excipe *Cappadox, Præcox.*

Finita in *Ux* corripiunt crementum.

1. *Dux ducis, Crux crucis,* &c.
2. Excipe *Lux* & *Pollux.*

Annotatiuncula.

1. Paucæ reſtant voces præcipuè in *X,* quæ regulas præcedentes non ſervant, cujuſmodi ſunt, *Arax, Atax, Colax, Ponax, Pharnax, Syphax,* &c. quæ cum ſemel in ſeculo fortè non occurrunt, ſatius omittere, quam regulis deſcribere exiſtimamus.

De Cremento plurali omnium declinationum.

A, E, O ſemper longa, *I* & *U* brevia.

1. *Pennarum, Scholarum, Librorum, Ventorum, Rerum, Dierum.* Sic *Quarum, Earum, Nobis, Vobis,* &c.
2. *Temporibus, Sermonibus, Fructibus, Portubus,* &c.

De Quantitate ultimæ Syllabæ.

A in fine declinatum breve, non declinatum longum.

1. Declinatum. *Penna, Tempora, Hectora,* &c.
2. Non declinatum. *A, Interea, Ultra, Triginta, Quadragima,* &c. ſed hæc in *ginta* interdum corripiuntur.

Exceptiones.

1. Ablativus & Imperativus ſemper producuntur; ut, *Hac penna, Qua, Ama, Clama,* &c.
2. Producuntur etiam Græca in Vocativo à Nominativo in *As*; ut, *Æneas Æneа, Thomas Thoma.*
3. *Eia, Ita, Quia* & *Puta* pro *Videlicet,* corripiuntur.
4. *Antea, Poſtea, Contra, Ultra* interdum corripiuntur.

E in fine breve eſt.

Mare, Mille, Docere, Scribe, Ante, Mane, Nempe, Rite, &c.

Exceptiones.

1. *E* in prima & quinta declinatione producuntur; ut, *Penelope,*

Gram-

Grammatice, *Fame* (quia olim fuit quinta) *Die* cum ſuis; ut, *Hodie*, *Pridie*, &c.

2. Item indeclinabilia; ut *Cete*, *Tempe*, &c.

3. Item Monoſyllaba, *Me*, *Te*, *Se*, *Ne*, &c.

4. At voces, quas Encliticas appellant, breves ſunt; ſc. *Ne*, *Que*, *Ve*; ut, *Illene*, *Dixitque*, *Legitve*.

5. Corripiuntur etiam hæ ſyllabicæ adjectiones, *Ce*, *Pte*; ut, *Hujuſce*, *Meapte*.

6. Producuntur Adverbia ab Adjectivis ſecundæ declinationis deducta; ut, *Docte*, *Scite*, *Doctiſſime*, *Valde* pro *valide*, *Æque*, &c.

7. At *Bene*, *Mala*, *Mage*, *Superne* & *Inferne* corripiuntur.

8. *Fere*. *Ferme*, & *Ohe* producuntur.

9. Item ſecunda ſingularis Imperativi ſecundæ conjugationis; ut, *Doce*, *Mane*, *Sede*, &c. At *Cave* vulgo corripitur, & interdum alia.

10. Poſtremò, Vocativus Græcorum à Nominativo in *Es* longus eſt; ut, *Anchiſes Anchiſe*, *Ulyſſes Ulyſſe*, &c. Verum quæ ſunt tertiæ conjugationis, interdum corripiuntur; ut, *Palamedes*, *Palamede*, &c.

I in fine longum eſt.

Livi, *Pari*, *Vidi*, *Audivi*, *Fui*, &c.

Exceptiones.

1. *Mihi*, *Tibi*, *Sibi*, *Cui*, *Ibi*, *Ubi*, *Niſi*, *Quaſi*, dubia ſunt.

2. Vocativus Græcus brevis eſt; ut *Paris*, *Pari*.

3. Item Dativus; ut, *Pallas*, *Palladi*, &c. Excipe, ubi contrahitur ab *ëi*; ut, *Demoſthenes Demoſthenei*, *Demoſtheni*.

4. Brevia etiam ſunt indeclinabilia; ut, *Gummi*, *Siaspi*, &c.

O in fine eſt anceps.

Homo, *Virgo*, *Amo*, *Volo*, *Quando*, *Ergo*, &c.

Exceptiones.

1. Dativus & Ablativus producuntur; ut, *Libro*, *Veno*.

2. Producuntur etiam Adverbia à Nominibus derivata; ut, *Tanto*, *Quanto*, *Multo*, &c.

3. At

3. At *Cito, Crebro, Mutuo, Sedulo, Sero,* dubia.
4. *Modo* pro *Solum* breve, *Ergo* pro *Causâ* longum.
5. Monosyllaba longa sunt; ut. *Do, Sto, O, Pro,* &c.
6. Item Græca, quæ per *O magna* seu *Omega* scribuntur; ut, *Dido, Echo, Androgeo.*
7. Gerundia interdum corripiuntur; licet sint revera Dativi vel Ablativi casus; ut, *Amando, Legendo,* &c.

U in fine longum.

Fructu, Genu, Dictu, Diu, Noctu, &c.

Y in fine breve.

Moly, Typhy, &c.

B in fine breve.

Ab, Ob, Sub, &c. Excipe *Job, Jacob,* & similia.

C in fine longum.

1. *Ac, Hoc, Sic, Dic,* &c.
2. *Nec* & *Donec* corripiuntur. *Hic* Pronomen anceps. Quidam addunt *Fac.*

D in fine breve.

1. *Ad, Apud, Sed, Illud, Id,* &c.
2. *David, Bogud,* & similia dubia sunt.

L in fine breve.

1. *Animal, Hannibal, Mel, Nihil, Pol,* &c.
2. Excipe *Sol, Sal, Nil.*
3. Item Hebræa; ut, *Daniel, Michael,* &c.

M in fine breve.

1. *Militum,* &c. Sed de hoc cum de Eclipsi agetur.

N in fine longum.

Non, Sin, En, Ren.

Exceptiones.

1. *An, In, Dein, Proin, Forsan, Forsitan, Tamen,* corripiuntur.

2. Item

2. Item, *Viden, Noſtin, Egon, Men,* & ſimilia.

3. Item, finita in *En* habentia *Inis* in Genitivo; ut, *Carmen, carminis, Peſten peſtinis,* &c.

4. Item, finita in *On* ſecundæ Declinationis; ut, *Ilion Ilii, Pylon Pyli,* &c.

5. Item Accuſativus Græcus, ſive primæ, ſive tertiæ Declinationis à Nominativo brevi; ut, *Maia Maian; Alexis Alexin,* &c. *Æneas Æneam* longum; quia *as* in fine longum.

6. Item Dativus pluralis *Arcaſin* pro *Arcadibus,* &c.

R in fine breve.

Cæſar, Pater, Levir, Soror, Guttur, Ver, Per, &c.

Exceptiones.

1. *Cur, Far, Fur, Hir, Lar, Ver, Nar, Par, Impar, Diſpar,* &c. producuntur; & aliquando *Vir* & *Cor.*

2. Item Græca, quæ habent *Eris* in Genitivo; ut, *Aer, Æther, Crater, Charakter,* &c.

As in fine longum.

Pictas, Anas, Eras, Foras, &c.

Exceptiones.

1. Græca in *As* formantia *Adis*, corripiuntur; *Arcas, arcadis, Lampas lampadis,* &c. His addunt *Anas.*

2. Item Accuſativus pluralis tertiæ Declinationis; ut, *Arcadas, Troas,* &c.

Es in fine longum.

Anchiſes, Nubes, Dies, Doces, Quoties, Oſſes, &c.

Exceptiones.

1. *Es* à *ſum* breve, ab *Edo* longum.

2. Item *Penes* Præpoſitio corripitur.

3. Item Neutra in *Es*; ut, *Hippomanes, Cacoethes,* &c.

4. Item Nominativus pluralis Græcorum creſcentium; ut, *Amazon amazones, Arcas arcades, aſpis aſpides:* ſed non in Accuſativo; hos *Arcades.*

5. Brevis etiam eſt quilibet Nominativus ſingularis, ubi penultima Genitivi præſentis corripitur; ut, *Miles militis, Obſes obſidis, Trudes tuditis,* &c.

6. Ac-

6. At *Abies, Aries, Ceres, Paries* & *Pes* producuntur.

Is in fine breve.

Apis, Lapis, Patris, Legis, Auditis, Satis, &c.

Exceptiones.

1. *Is* in plurali numero Nominum ubique longum eſt; ut, *Penis, Ventis, Nobis, Vobis, Illis, Omnis, Urbis, Quis*, pro *Omneis, Urbeis, Queis*.

2. Item, Nomina habentia *itis* longum; ut, *Dis, Lis, Samnis*, &c.

3. Item, ſecunda perſona ſingularis, cujus pluralis habet *itis* longum; ut, *Audis, Is, Sis, Velis*, &c.

4. Item, *Vis* & Nomen & Verbum.

5. *Foris* & *Gratis* interdum producuntur.

Os in fine longum.

Mos, Ventos, Os oris, &c.

Exceptiones.

1. *Compos, Impos*, & *Os oſſis* breves.

2. Item, Græca, quæ ſcribuntur per *O micron*; ut, *Synodos, Arctos, Chaos, Melos, Pallados*, &c.

Us in fine breve.

Ventus, Tempus, Melius, Pejus, Amamus, Damus, &c.

Exceptiones.

1. Excipe Genitivum ſingularem, Nominativum, Acuſativum & Vocativum plurales quartæ Declinationis; ut, hujus, hi, hos, & ô *Fructus, Metus*, &c.

2. Item, omnia Nomina, quæ retinent *U* in cremento Genitivi; ut, *Plus pluris, Sus ſuis, Grus gruis, Tellus telluris, Salus ſalutis, Opus opuntis*, &c.

3. Item, Genitivus tertiæ; ut, *Dido Didus, Echo Echus*.

Ys in fine breve.

Chelys, Capys, &c. Excipe *Tyrnos, Gortys gortynos*.

T in fine breve.

Caput, Amat, Dat, Ut, Sicut, &c.

1. Excipe perſonas contractas; ut, *Format* pro *Formavit*; *It* pro *iit*; & *iit* pro *ivit*, &c.

Obſer-

Observatio de contractione vocum.

1. Omnis Syllaba ex duabus conflata est longa; ut, *Ve* in *Vemens* pro *Vehemens*; *Mi* pro *Mihi*, *Nil* pro *Nihil*, &c.

2. Atque hinc est, quod *bi* in *Tibicen* sit longa, & *bi* in *Tubicen* brevis; quia *Tibicen* componitur ex *Tibia* & *Cano*. & *Tubicen* ex *Tuba* & *Cano*; & *Tibia* contrahitur in duas syllabas; ubi nulla est contractio in *Tuba*.

Derivativum retinet plerunque quantitatem primitivi.

1. *Orator*, *Oratio*, *Orandus*, *Oraturus*, &c. primam producunt, quia *Oro* producit.

2. Sic *Animosus*, *Animatus*, *Animandus*, &c. primas duas corripiunt, quia *Animus* corripit. Item *Virgineus*, *Sanguineus*, antepenultimam habent brevem; quia *Virgo* & *Sanguis* corripiunt crementum in Genitivo.

3. Pariter *Movebam*, *movebo*, *moveam*, *moverem*, *movere*, *movens*, *movendum*, &c. corripiunt primam syllabam, quia *Moveo* corripit.

4. Et *Moveram*, *moverim*, *movissem*, *movero*, *movisse*, producunt primam, quia *Movi* (ut dictum de Verbis disyllabis in Præterito) producit.

5. Sic *Motus*, *a*, *um*; *moturus*, *motus*, *us*, *ui*, *motrix*, *motio*, *mobilis*, & si qua alia, primam habent longam, sicuti *motum* supinum disyllabum.

Exceptiones.

Quædam derivata à Primitivis longis corripiuntur.

1. Ut, *Dicax*, à *Dico*, *Dux ducis*, à *duco*, *Lucerna* à *luceo*, *Fides* à *fido*, *Sagax* à *sagio*, *Sopor* à *sopio*, *Lotium* à *lorum*, *Mamilla* à *mamma*, *Natare* à Supino *natu*, unde *Enato* penultimâ brevi, *Sigillum* à *signum*, *Statio* à *stamum*.

2. Quædam derivata à Primitivis brevibus producuntur.

3. Ut, *Sedes* à *sedeo*, *Macero* à *macer*, *Tegula* à *tego*, *Lex legis* à *lego*, *Rex regis* & *regula* à *rego*, *Fomes* & *fomentum* à *foveo*, *Vox vocis*, & *vociferor* à *voco*, *Humor* & *humanus* ab *humus*, *Nonus* à *novem*, *Denus* à *decem*; & sine dubio plura reperies.

Com-

Compoſitum plerunque retinet quantitatem ſimplicis, quanvis Vocalis vel Diphthongus mutetur.

1. Ut, *Probus, Potens, Amo, Lego* corripiunt priorem ſyllabam; ergo eadem ſyllaba in *Improbus, Impotens, Adamo, Perlego* corripitur.

2. Item, *Clarus, Sanus, Pono, Spiro* producunt priorem; ergo & in his, *Præclarus, Inſanus, Compono, Reſpiro* producitur eadem ſyllaba; nempe media.

3. Idem fit, quanvis Vocalis aut Diphthongus mutetur; ut, *Ago, Cado* corripiunt priorem; ergo & in his *Adigo, Deſido* producitur media.

4. Item, *Lædo* & *Cædo* producunt priorem; ergo & in his *Illido, Occido* producitur penultima.

Exceptiones.

1. Quædam Compoſita à ſimplicibus longis corripiuntur.

2. Ut, *Semiſopitus* breve, *So* in *Sopio* longum: *Nu* in *Innuba* & *Pronuba* breve; *Nubo* longum; at in *Connubium* anceps: *Fe* in *Dejerat* & *Pejerat* breve, *Fu* in *Furo* longum.

3. Et contra, quædam compoſita producuntur à ſimplicibus brevibus; ut *Ambitum* Participium producit penultimam, quanvis *i* in *itum* ſit breve; & *Mi* in *Comitia* eſt anceps: *Ambitus* quidem Nomen regulam ſervat. *Fi* in *Fides* breve, ſic *Fi* in *Perfidus*; at longum in *Infidus*.

De Quantitate Literæ I *finientis priorem Dictionem in Compoſitione.*

I breve; *Biceps, Triceps, Agricola, Omnipotens, Totidem*, &c.

Exceptiones.

1. Excipe primò, ubi *I* variatur; nempe ubi eſt *I* non ratione compoſitionis, ſed ratione Caſus ſeu Conſtructionis; ut, *Quivis, Qualicunque, Quantilibet*, &c. Quia ubi Conſtructio requirit, dicimus *Cujuſvis, Quemvis, Quovis*, &c.

2. Secundò, ubi quæ componuntur, ſeparatim ſeu ſimpliciter efferri poſſunt; *Parvipendo, Magnifacio*, &c. Quia licet ſcribas

Parvi

Parvi pendo, in duabus vocibus, &c. Sed hoc referri potest ad præcedens.

3 Tertio, excipe ubi illud *I* contrahitur; ut, *Tibicen* ex *Tibia* & *Cano*; de quo ante. Sic *Bigæ*, *Quadrigæ*, *Pridie*, *Postridie*, *Biduum*, *Triduum*, *Meridies*. Sed fateor has exceptiones esse admodum incertas; quia dubitamus sæpe quæ contrahantur, quæ non: de quibusdam allatis dubitari potest.

4. Hæc etiam longa sunt, *Triceni*, *Tricesimus*, *Nimirum*, *Ibidem*, *Ubique*, *Utrobique*, *Ubivis*.

5. *Ti* in *Quotidie* anceps est.

6. *Matricida* & *Patricida* producuntur interdum.

7. *I* in *Idem* in Neutro breve, Masculino longum.

De Omniscius.

1. Si Analogiam cum aliis vocibus spectes, *Ni* in *Omniscius* longum est per Positionem æquè ac *Re* in *Resduo*, aut *Respondeo*.

2. Verum, cum nulla, quoad sciam, apud Poetas Latinos de hac voce extet autoritas, vel corripi, vel produci per nos licebit.

Improbe, te fallis, si credas facta nefanda
Omniscium latitare DEUM, *qui cuncta tuetur.*

Annotatiuncula.

De *a*, *e*. *o*, *u*, finientibus, priorem dictionem in compositione adeo incertum est, ut satius judicemus authoritati, quam regulæ inniti: nam *a* in *Quapropter*, *se* in *Sederim*, *do* in *Quandoque* producuntur; at *a* in *Hexameter*, *tre* in *Tredecim*, *do* in *Quandoquidem* corripiuntur. *Dru* in *Quadrupes* breve est; *Nu* in *Genuflecto* anceps habetur.

Y breve; ut, *Ly* in *Polysyllaba*.

De quantitate Præpositionum in Compositione.

1. Præpositio retinet eandem quantitatem in Compositione, quam habet extra Compositionem.

2. *A*, *E*, *De*, longæ sunt per regulas supra traditas; ergo & in eis, *Amoveo*, *Evoco*, *Deduco*, &c.

3. Item, *Ab*, *Ad*, *Ante* breves; erg o & hic, *Abeo*, *Adigo*, *Antecelle*, &c. nisi impediat positio; ut, *Abduco*, *Adjicio*. &c. Et contra forte longa syllaba corripietur per aliam regulam; ut, *Deamo*,

amo, *Dcero*, &c. quia Vocalis ante Vocalem corripitur, ut dictum.

De PRO *in Compositione.*

Pro longum est; ut, *Produco*, *Profero*, *Pro'um*, &c.

Exceptiones.

Corripias *Pronepos*, *Profugat*, *Profugit*, *Proficiscor*,
Hiscе *Profecto*, *Profectus*, junge *Procello*, *Procella*,
Atque *Profana*, *Professa*, *Profunda*, *Professa*, *Profari*:
Sed variant *Procuro*, *Propino*, *Propello*, *Profundo*.
His *Propago propagis* cum *Propagine* junges;
Et *Pro* breve in Græcis, *Prologusque*, *Prophetaque* testes.

De RE *in Compositione.*

1. *Re* breve; ut, *Refero*, *Reduco*, *Redeo*, &c.

2. Excipe, ubi componitur ex Nomine *Re* à *Res*; ut in his; *Quid tuâ refert? Meâ nil refert. Patriâ refert*, &c.

3. Item ante *F* Consonans, ut, *Rejicio*. Verum Poetæ corripiunt delendo *F*, *Reicit*, pro *Rejicit*. Sic *Ab* in *Abjicit*, *Abicit*, &c. Quid enim non faciunt Poetæ metri gratiâ? Addunt, demunt & mutant literas & syllabas; ut, *Retulit*, pro *Retulit*; *Relligio* pro *Religio*, *Dicier* pro *dici*, *Delum* pro *Deorum*, &c. de quibus alibi.

De CON *&* CIRCUM *in Compositione.*

Con & *Circum* breves; *Comedo*, *Circumeo*, *Circumago*.

De DI *&* SE *in Compositione.*

Di & *Se* longæ; ut *Diduco*, *Sepono*, &c.
Excipe *Dijertus* & *Dirimo*.

Ultima Syllaba cujuslibet Versus est anceps.

Nemo errare potest in ultima syllaba Versus.

Poſtſcriptum.

1. Syllaba, cùjus quantitas ex præcedentibus Regulis non liquet, ex probato aliquo Authore petenda eſt; e.g. Si dubites, quanta ſit *Cu* in *Cubo*, conſule Virgilium,

Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

2. Et quoniam ſæpe nulla nobis occurrit Authoritas, ideoque comparati ſunt libri, qui cujuſvis fere vocis quantitatem exhibeant, qualis eſt *Smetii* Proſodia, liber in hunc finem utiliſſimus.

DE CARMINE.

1. Carmen, ſeu Verſus eſt oratio certis menſuris reſtricta; fitque ex pedibus, pedes ex ſyllabis.

2. Pes conſtat ex duabus, tribus, aut quatuor ſyllabis.

3. Communiores pedes ſunt ſequentes novem; ſed duo poſtremi non ſunt pedes ſimplices, ſed compoſiti ex aliis, ut intuenti patet.

Pyrrhichius habet duas breves,	∪∪	*Deus.*
Spondæus duas longas,	– –	*Eſſent.*
Jambus brevem & longam,	∪ –	*Dabunt.*
Trochæus longam & brevem,	– ∪	*Stare.*
Dactylus longam & duas breves,	– ∪∪	*Carmine.*
Anapæſtus duas breves & longam,	∪∪ –	*Domino.*
Tribrachys tres breves,	∪∪∪	*Canite.*
Proceleuſmaticus quatuor breves,	∪∪∪∪	*Celeriter.*
Choriambus longam, duas breves & longam,	– ∪∪ –	*Hiſtoriæ.*

Iidem pedes metrice deſcripti.

Pyrrhichius geminis brevibus fluit, & ſalit acer.
Spondæum longis liquet & conſtare duabus.
Syllaba longa brevi ſubjecta vocatur *Jambus*.
Quod ſi longa brevem præcedat, habeto *Trochæum*.
Dactylus ingreditur longâ brevibuſque duabus.
At geminis fertur brevibus, longaque *Anapæſtus*.
Tres brevians *Tribrachys* rapido volat ocyor Euro.
Vult *Proceleuſmaticus* brevibus conſtare quaternis.
Longa duæque breves, & longa creant *Choriambum*.

De

De Carmine Adonico.

Carmen Adonicum conſtat Dactylo & Spondæo.

Gaudia pelle, pellè timorem, nec dolor adſit.

De hoc Carminis genere poſtea dicetur: hic utpote facillimum primum tradidimus.

De Hexametro.

Carmen Hexametrum conſtat ſex pedibus; primis quatuor Dactylis vel Spondæis, quinto Dactylo, ſexto Spondæo.

Arma virumque cano Troiæ qui primus ab oris, Virg.

Scande, *Armavi, rumqueca, notroi, aqui, primus ab, oris,*

ANNOT.

1. Alios etiam pedes interdum reperies; ut apud Virgilium in primo loco eſt Anapæſtus.

Fluviorum Rex Eridianus campoſque per omnes.

2. Et ſæpe in quinto loco ponitur Spondæus; præſertim, ſi de re triſti fiat ſermo; ut apud Buch. Pſ. 137.

Diripite, ex imis everite fundamentis.

De Pentametro.

1. Pentametrum conſtat quinque pedibus; primis duobus Dactylis vel Spondæis; tertio, Spondæo; quarto, & quinto Anapæſtis.

Hei mihi, quod Domino non licet ire tuo, Ovid.

Scande, *Heimihi, quoddomi, nonon, liceti, retuo.*

Aliter ſcandunt,

2. Poſt duos pedes faciunt Cæſuram, ſeu unicam ſyllabam; deinde duos Dactylos cum alia Cæſura, Sic.

Heimihi, quoddomi, no, nonlicet, iretu, o.

De Cæſura.

1. Cæſura eſt Syllaba ex præcedente voce poſt aliquem pedem

remanens ſequenti pedi inter ſcandendum jungendâ; ut, *tus, um, li, tus* in hoc Verſu.

Ille latus niveum molli fulvus Hyacyntho.
Illela, tuſnive, ummol, liful, tusHya, cimbo.

2. Atque diligenter notandum hanc ſyllabam, licet naturâ, vel uſu brevem, ſæpe tamen produci per Cæſuram; quia cæditur, ſeu ſcinditur ab una voce, & alii adjungitur; ut, *bus* in *Pectoribus*, & *mor* in *Amor* apud Virg.

Pectoribus inhians ſpirantia conſulit exta.
Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

De Eclipſi.

1. Eclipſis eſt ablatio literæ *M* cum vocali præcedente, quoties dictio aliqua in eam deſinit, & ſequens à Vocali aut diphthongo incipit; ut, *Utendum eſt*; ſcande, *Utend'eſt*. *Multum ille*; ſcande, *Mult'il*.

Utendum eſt ætate; cito pede labitur ætas.
Littora multum ille & terris jactatus, & alto.

2. *M* cum vocali præcedente interdum aufertur à fine verſus, cum ſequens à vocali incipit; ut apud Virg.

Fatemur, doceas ignari hominumque locorumque,
Erramus —— Scande, *qu'erra* ——

3. *M* non ablatum corripitur, ut apud Enn. *tum* in *Militum*.

Inſignita fere ſunt millia militum octo.

De Synalœpha in diverſis Dictionibus.

1. Synalœpha eſt ablatio vocalis ante vocalem, quoties dictio in vocalem aut diphthongum deſinit, & ſequens ab iis incipit; ut, *Vita eſt*, *Vit'eſt*, *Vive hodie*, *Viv' hodie*: ut in hoc Pentametro.

Stramis vita eſt craſtina, vive hodie.

2. Inter-

2. Interdum aufertur à fine Verſus, cum ſequens a Vocali incipit.

Et magnòs membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque
Exuit; ſcande *quexuit.* Virg.

Exceptiones.

1. Vocalis auferri non ſolet ante *O*, *Heu*, *Ah*, *Proh*, & ſimilia.

O Pater, ô hominum, Divumque, æterna poteſtas, Virg.
Heu ubi fulta fides, ubi quæ jurare ſolebas, Ovid.

2. His addas *Io*, ut apud Ovid.

Et bis Io Arethuſa Io Arethuſa vocavit.

3. Interdum in aliis vocibus vocalem non auferri reperies; ut, in *Pecori* apud Virg.

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur aquis.

4. Atque hic notandum hanc vocalem aut diphthongum non ablatam ſæpe corripi, licet ſua natura ſit longa; ut *Qui*, & *Iæ* in *Inſulæ*, in hiſce Verſibus Virgilianis.

Credimus, an, qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt.
Nunc magno nobis ſunt Inſulæ ore canendæ.

De Synalœpha in eadem dictione; quæ vulgo Synæreſis, *aut* Craſis *dicitur.*

1. Synalœpha in eadem dictione, eſt ablatio vocalis ante vocalem aut ſaltem contractio duarum vocalium in unam ſyllabam; ut *Deinde, D'inde*: vel (ut alii volunt) *Deinde* per Diphthongum *ei*. Sic *Alvearia* apud Virg. ſcanditur *Alvaria.*

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.

2. Sic *Omnia* apud eundem contrahitur in *Omna* in fine Verſus, ut fiat Spondæus.

Bis patriæ cecidere manus, quin protinus omnia.

Notandum tamen non omnibus, & ubique licere voces contrahere. Nonnullæ quidem ſunt quæ fere ſemper ab omnibus contrahuntur, quas in his verſibus (ſi ſcandas) contrahendas videbis.

Omnibus iſta licent, *Huic*, *Cui*, *Dii*, quoque *Dehinc*, *Dein*, *Proin*, *Deeſt*, *Semianimis*, *Prout*, *Deorſum*, *Prehendere*, *Seorſum*; Sic *Ii*, ſic *Iidem*. Licet his conformia jungas.

4. Junge quæ ſub his comprehenduntur; ut, *Dein*, *Deinde*, *Deinceps*: Sub *Deeſt*, *Deeram*, *Deero*, &c. Sub *Cui*, *Cuique*, *Cuidam*, &c. Sic, *Antehac Antac*, *Anteit Antit*, &c.

De Diæreſi.

1. Diæreſis eſt ſolutio, ſeu diviſio unius ſyllabæ in duas; ut, *Sylvæ ſyllïæ*: *Solvit ſoluit*: *Evolviſſe* in hoc Verſu ſcandendum *evoluiſſe*.

Debuerant fuſos evolviſſe ſuos.

2. Huc reducantur hæc & ſimilia, *Jacobus*, *Joannes*, quæ vulgo per tres ſyllabas efferuntur, quum tamen quatuor conſtent, *I-acobus*, *I-oannes*.

3. Præcipue vero Salutiferum illud Nomen *Ieſus* duabus ſyllabis vulgo prolatum, tribus conſtare debet.

Admonitio.

Qui hactenus tertiam partem non intelligit, *Ne Plus Ultra*.

Vitia Hexametri.

1. Hexamètrum bonum non eſt, cujus voces inter ſcandendum non rumpuntur; ut in hoc Verſu.

Urbem fortem nuper cepit fortior hoſtis.

2. Nec quod in fine multas habet voces diſſyllabas; ut,

Semper ut inducar blandos offert mihi vultus; Tibul.

3. Nec, quod rythmice finit*, vulgò Carmen Leoninum appellatum.

Inunc, & verbis virtutem illude ſuperbis. Virg.
Si Troiæ fatis aliquid reſtare putatis, Ovid.

4. Nec, cujus ultima vox eſt monoſyllaba; ut apud Virg. & Hor.

Tum pietate gravem, ac meritis ſi forte virum quem.
Primum nam inquiram quid ſit furere hoc ſi erit in te.

5. Non tamen omnia quæ in fine habent voces diſſyllabas; ut,

Semiputata tibi frondoſa vitis in ulmo eſt. Virg.

6. Nec bonum eſt quod multas & duras habet eliſiones, ſeu hiatus; &, quo plures, eo pejus habetur.

Troia,

Troia, nefas, commune ſepulchrum Europæ, Aſiæque.
Illam ancillam ego amo ante alias, atque ipſi eho amandus.
Monſtrum horrendum ingens, avidum Orco, Hecate atq; Erebo ortum.

7. Nec bonum eſt, quod vel unicam habet eliſionem, ſi modo ſit in initio aut fine. ut apud *Hor.*

Nam ut ferula cædas meritum majora ſubire.
Loripidem reſtus derideas, Æthiopem albus.

8. Multa alia ſunt vitia, quæ facile diſcernas, licet proprio nomine careant, ut in ſecundo pede hujus verſus.

Sardanapalus ſe vitio fœdaverat omni.

9. Vide ſecundum pedem non ita proruere, ut ægre ſe elevet. Sic emenda.

Sardanapalus erat vitium proclivis in omne.

Virtutes Hexametri.

Etſi in primis quatuor locis vel Dactylos vel Spondæos pro tuo arbitrio locare licet, vulgo tamen, vel pares, vel plures Dactyli eſſe ſolent; ut apud *Virg.*

Infandum Regina jubes renovare dolorem.
Tityre tu patulæ recubans ſub tegmine fagi.

2. In materia quidem gravi & lenta plures eſſe ſolent Spondæi; ut,

Illi ſedato reſpondit corde Latinus. Virg.

3. Interdum ipſe vocum ſonus rem quaſi præ oculis exponit; ut patet ex *Virgilio* deſcribente Cyclopes fulmina *Jovi* in Monte *Ætna* fabricantes.

Illi inter ſeſe magnâ vi brachia tollunt.

4. At in materia celeri pluribus uti oportet Dactylis; quod factum vides à *Virgilio* Equi celeritatem depingente.

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Vitia Pentametri.

1. Pentametrum bonum non eſt, quod Cæſuram habet in initio vocis.

Hæc quoque noſtræ ſententia mentis erat; Diomed.

2. Nec, quod multas habet eliſiones; ut,

Troia virum & virtutum omnium acerba cluis; Catul.
Quam modo, qui me unum atque unicum amicum habuit.

3. De cæteris ex iſtis conjecturam facias.

De paucis aliis Verſuum generibus; ac primo de ſex parvis, qui Hexametri partes *vulgo dicuntur.*

Tria autem ſunt, quæ ab Hexametro incipiunt; & tria finiunt.

Primum Genus, ſeu Verſus Archilochius.

Primum genus conſtat duobus Dactylis aut Cæſura.

Pulvis & umbra ſumus. Hor. lib. 4. Od. 7.

Secundum Genus, ſeu Verſus Alcmanius.

Secundum genus conſtat tribus Dactylis & Cæſura.

Munera lætitiamque Dei. Virg. 1. Æn.

Tertium Genus.

Tertium genus conſtat quatuor primis pedibus Hexametri, ſed ultimo ſemper Dactylo.

Luminibuſque prior rediit vigor. Boeth.

Quartum Genus, ſeu Verſus Pherecratius.

Quartum genus conſtat Spondæo, Dactylo, & Spondæo.

Nigris æquora ventis. Hor. Od. 5.

Quintum Genus, ſeu Verſus Dactylicus Tetrameter.

Quintum genus conſtat quatuor poſtremis pedibus Hexametri.

O fortes, pejoraque paſſi. Hor. Od. 7.

Sextum Genus, ſeu Verſus Adonicus.

Sextum genus conſtat Dactylo & Spondæo; ut ante dictum.

Pangite laudes, Omnipotenti
Namque gubernat Omnia nutu.

De Verſibus Choriambicis.

Primum Genus, ſeu Verſus Glyconicus.

Primum genus conſtat Spondæo, Choriambo & Iambo; vel Spondæo & duobus Dactylis,

Illi mors gravis incubat. Sen.

Secundum Genus.

Secundum genus conſtat Spondæo, duobus Choriambis, & Cæſura.

O quam glorificâ luce coruſcus, Boeth.

Tertium Genus, ſeu Verſus Aſclepiadeus.

Tertium Genus conſtat Spondæo, duobus Coriambis, & Iambo; vel Spondæo, Dactylo, Cæſura, & duobus Dactylis.

Mæcenas atavis edite regibus. Hor. Od. 1.

Quartum Genus.

Quartum genus conſtat Spondæo, tribus Choriambis, & Iambo.

Seu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam. Hor.

Verſus Hendecaſyllabi.

Primum Genus, ſeu Verſus Sapphicus.

Primum Genus conſtat Trochæo, Spondæo, Dactylo, & duobus Trochæis.

Mens Deo laudes cane; redde grates. Buch. Pſ. 103.

Tribus Sapphicis ſubjungi ſolet Adonicus, ut ibidem videre eſt.

Secundum Genus, ſeu Verſus Phaleucius.

Secundum Genus conſtat Spondæo, Dactylo, & tribus Trochæis.

Vos hinc interea valete, abite. Catul.

Tertium

Tertium Genus, seu Versus Alcaicus.

Tertium Genus constat duobus Iambis, Cæsura, & duobus Dactylis.

Vides, ut alta stet nive candidum; Hor.

Versus Anapæstici.

Primum Genus.

Primum Genus constat duobus pedibus, Anapæstis, Dactylis vel Spondæis pro arbitrio; nam hi tres pedes eadem continent tempora.

Desiete virum,
Quo non alius
Potuit citius
Discere causas;
Unâ tantum
Parte auditâ,
Sæpe & neutra.
Sen. in mortem Claudii.

Secundum Genus.

Secundum Genus constat quatuor pedibus, Anapæstis, Dactylis, vel Spondæis.

Quanti casus humana rotant?
Minus in parvis Fortuna furit. Sen.

Versus Archilochii.

Primum Genus.

Primum Genus constat quatuor primis Hexametri pedibus, sed ultimo semper Dactylo, & tribus Trochæis, *Hor.* lib. 1. Od. 4.

Solvitur acris hyems grata vice veris & Favoni.

Secundum Genus.

Secundum Genus constat duobus Iambis, Cæsura, & tribus Trochæis.

Trabumque ficcas machinæ carinas; Ibid.

Versus

Verſus Iambici.

Verſus Iambicus vel conſideratur quoad diverſitatem vel numerum pedum: quidam enim quatuor conſtant pedibus; & vocantur *Dimetri*; quidam ſex, & appellantur *Trimetri*; alii octo, & *Tetrametri* nuncupantur.

Verſus Iambicus quoad pedum diverſitatem conſideratus.

Primum Genus, ſeu Verſus purus Iambicus.

Verſus purus Iambicus conſtat ſex Iambis.

Suis & ipſa Roma viribus ruit. Hor. Epod. 16.

Secundum Genus.

Secundum Genus habet in locis imparibus (i. e. in primo, tertio, quinto, &c.) Spondeum.

Pars ſanitatis velle ſanari fuit; Sen.

Tertium Genus.

Tertium Genus habet in ultimo loco Iambum, in reliquis Anapæſtum, Dactylum, Iambum, vel Tribrachyn.

Homo ſum, humani nihil à me alienum puto, Ter.

Sat habet fautorum, ſemper qui rectè facit, Plaut.

Quartum Genus.

Quartum Genus habet in primo, tertio & ſexto loco Spondæos, in reliquis Iambos; diciturque *Scazon*, ſeu *Choliambus*, i. e. *Verſus claudicans*; quia ordinem pedum mutat, incipiens à Spondæo in loco impari, & in pari finiens; ut apud *Catul.*

Sed non videmus mantiſæ, quod in tergo eſt.

Verſus Iambicus quoad numerum pedum conſideratus.

Primum Genus conſtat quatuor pedibus.

Muſæ Jovis ſunt filiæ.

Secundum

Secundum genus conſtat ſex pedibus.

Qui non vetat peccare, cum poſſit, jubet.

Tertium genus octo habet pedes; ut apud Ter.

Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum.

Iambicus imperfectus.

Trudjtur dies die. Hor. Deeſt ſyllaba in initio.
Ades Pater ſupreme. Prud. Deeſt ſyllaba in fine.

Iambicus redundans.

Et cuncta terrarum ſubacta. Hor. Od. 1. lib. 9. Redundat hic ſyllaba in fine.

Annotatiuncula.

Verſus omnibus ſuis numeris perfectus, dicitur *Acatalectticus*; ſi deeſt ſyllaba, *Catalecticus*: Si vero deeſt pes, *Brachycatalecticus*; ſi autem quid redundat, *Hypercatalecticus* nominatur.

De variis Verſuum nominibus.

1. Verſus ſeu Carmen habet nomen vel ab Inventore, vel à materia de qua tractat, vel à pedibus aut ſyllabis quibus conſtat.

Ab Inventore.

2. Quales ſunt Verſus *Adonici, Alcmanii, Archilochii, Pherecratii, Glyconici, Aſclepiadei, Sapphici, Phaleucii, Alcaici,* &c.

A Materia.

3. Hexametrum dicitur *Heroicum*; quia Heroum, ſeu Illuſtrium Virorum geſta enarrat.

4. Hexametrum & Pentametrum conjuncta nominantur *Elegiaca*; quia de Elegia, ſeu re triſti agere ſolent.

5. Denique quodvis carmen dicitur *Satyricum*, ſi ſatyricè, i. e. mordaciter hominum vitia carpit.

A

A Pedibus.

6. Hexametrum dici ſolet *Spondaicum*, cum in quinto loco eſt Spondæus; & *Dactylicum*, cum in ſexto loco eſt Dactylus.

7. Atque hinc nomina ſortiuntur *Iambici*, *Choriambici*, *Anapaſtici*, quia in iis Verſibus dominantur, ſeu frequentes ſunt hi pedes.

8. Et *Sapphicus*, *Phaleucius*, *Alcaicus*, dicuntur *Hendecaſyllabi*; quia conſtant undecim ſyllabis: nam *hen* valet *unum*, & *deca decem*.

9. Sic Hexametrum, ab *hex*, i. e. *ſex*, & *metrum*, i. e. *menſura*; quia conſtat ex ſex menſuris, ſeu pedibus.

10. Item Pentametrum à *pente*, i. e. *quinque*, & *metrum*, i. e. *menſura*; quia quinque conſtat menſuris, ſeu pedibus.

11. Poſtremò, Iambici dicuntur, vel *Dimetri*, i. e. Verſus conſtantes duabus menſuris: *Trimetri*, conſtantes tribus aut *Tetrametri*, quatuor; quia Græci per duos ſimul pedes carmina metiebantur: ideoque *Dimetri* apud Latinos ſunt Verſus habentes quatuor pedes; *Trimetri* ſex, & *Tetrametri* octo.

De variis Carminum ſeu Poematum generibus.

1. Carmen, ſeu Poema eſt *Monocolon*, *Dicolon*, vel *Tricolon*; i. e. Poema conſtat uno, duobus vel tribus verſuum generibus.

2. Si Poema pluribus conſtet generibus, tunc vel eſt *Diſtrophon*, *Triſtrophon*, *Tetraſtrophon*, *Pentaſtrophon*.

3. *Diſtrophon* poſt ſecundum Verſum ad primum genus redit.

4. *Triſtrophon* poſt tertium.

5. *Tetraſtrophon* poſt quartum.

6. *Pentaſtrophon* poſt quintum.

7. Sic igitur computa, Hexametra ſunt *Monocola*.

8. Hexametra cum Pentametris conjuncta ſunt *Dicola diſtrophа*.

9. Sapphica cum Adonico ſunt *Dicola tetraſtrophа*.

10. Illud genus Horatii, Od. 14. lib. 1. ubi duobus Aſclepiadeis ſubjicitur Pherecratium, & Pherecratio Glyconium, eſt *Tricolon tetraſtrophon*.

11. Illud apud Catul. in Epithal. *Juliæ* & *Manlii*, ubi quatuor Glyconicis ſubjicitur Pherecratium, eſt *Dicolon Pentaſtrophon*.

Qua

Quæ Carmina ſeparatim, quæ conjunctim ſcribi ſoleant.

1. Hexametra, Iambica trimetra, & tetrametra Choriambica, Aſclepiadea, Anapæſtica, ſeparatim vel conjunctim reperiuntur.
2. Iambica dimetra, Glyconica, Sapphica, Archilochia raro ſeparatim leges.
3. Pentrametra & Adonica fere nunquam ſeparatim leguntur.

QUARTA

QUARTA PARS GRAMMATICÆ,

Quam *ORTHOGRAPHIAM* nominamus.

1. Literæ ſunt majores, vel minores.
2. Majores, *A, B, C, D, E, F, G, H, I, J, K, L, M, N, O, P, Q, R, S, T, U, V, X, Y, Z.*
3. Minores, *a, b, c, d, e, f, g, h, i, j, k, l, m, n, o, p, q, r, ſ, t, u, v, x, y, z.*

Quando majoribus ſit utendum.

1. Omnis oratio ſeu periodus à majore incipit; ut, *Time Deum. Honora Regem.*
2. Item, Quodvis proprium nomen; ut, *Carolus, Scotia, Edinburgum.*
3. Item, Nomina ab illis deducta; ut, *Carolinus, Scoticus, Edinburgenſis.*
4. Item, Dignitates; ut, *Deus, Chriſtus, Imperator, Rex, Conſul, Dux, Marchio, Comes, Duciſſa, Comitiſſa, &c.* His, ſi placet, addas hujuſmodi nomina; *Pater, Mater, Præceptor, &c.*
5. Item, Artes & Scientiæ; ut, *Grammatica, Arithmatica, Logica.*
6. Item, Singuli Verſus; ut, *Parve, nec invideo, &c.*
7. Poſtremo, Quævis vox Emphatica, ſeu notabile quid denotans, majore litera deſcribi poteſt.

Quomodo

Quomodo Literæ pro Vocibus ponantur.

1. *A.* pro *Aulus*. *C.* pro *Caius*. *D.* pro *Decimus*. *L.* pro *Lucius*. *M.* pro *Marcus*. *P.* pro *Publius*. *Q.* pro *Quintus*, *Quæstor*, aut *Quirites*. *T.* pro *Titus*.

2. *Ap.* pro *Appius*. *Cn.* pro *Cnæus*. *Sp.* pro *Spurius*. *Sex.* pro *Sextus*.

3. *P. C. Patres Conscripti*. *P. R. Populus Romanus*. *R. P. Respublica*. *Coss. Consulibus*. *S. P. Q. R. Senatus, Populusque Romanus*. *S. P. D. Salutem plurimam dicit*. *H. S. Sestertius*. *A. D. Anno Domini*. *A. M. Anno Mundi*. *F. D. O. M. Favente Deo Optimo Maximo*. *D. D. Domino Domino*. *D. D. C. Q. Dicat, Dedicat, Consecratque*.

4. Interdum inversas reperias literas; ut, Ↄ. pro *Caia*. Ⅳ. pro *Marca*.

5. *V.* pro *Quinque*. *X.* pro *Decem*. *L.* pro *Quinquaginta*. *C.* pro *Centum*. *D.* pro *Quingenta*. *M.* pro *Mille*.

6. Reperies etiam, præcipuè apud Cæs. octavam figuram sic impressam ∞ pro *Mille*.

7. Aliter numeros sic describunt.

I	I	Unus.
5	V	Quinque.
10	X	Decem.
50	L	Quinquaginta.
100	C	Centum.
500	IC	Quingenta.
1000	CIↃ	Millia.
5000	IↃↃ	Quinque millia.
10000	CCIↃↃ	Decem millia.
50000	IↃↃↃ	Quinquaginta millia.
100000	CCCIↃↃↃ	Centena millia.
500000	IↃↃↃↃ	Quingenta millia.
1000000	CCCCIↃↃↃↃ	Decies centena millia.

8. Si minor numerus majori præponatur, indicio est tantundem à majore esse demendum; e. g. V. valet *quinque*; at IV. valet tantundem *quatuor*: IX. *novem*; IC. *nonaginta novem*.

De

De legitima Syllabarum Distinctione

Quatuor Regulæ.

1. Prima. Si unica sit consonans inter duas vocales, pertinet ad posteriorem; ut, *Amo, a-mo*; non, *am-o*; sic *Dare, da-re*; *Pertinet, perti-net.*

2. Excipe Composita; ut, *Ades, ad-es*; *Alteruter, alter-uter.*

3. Secunda. Si duæ sunt consonantes ejusdem nominis, altera ad priorem syllabam, altera ad posteriorem attinet; ut, *An-nus, Ful-lo*, &c.

4. Tertia. Consonantes, quæ in initio vocis consistere non possunt, nec in medio conjungi debent; ut, *Arduus, ar-duus*; non, *a-rduus*, quia nulla vox incipit ab *rd*.

5. Quarta. Consonantes, quæ in initio vocis scribi possunt, in medio non sunt dividendæ; ut, *Doctus do-ctus*, non, *doc-tus*; quia dicimus *Cteſipho*.

6. *Ramus* asserit Barbarismum committere, qui contra hanc regulam peccet; Ideoque sequens tabula diligenter notetur.

bd.	He-bdomas,			Bdellium.
cn.	Te-chna,			Cnæus.
ct.	Do-ctus,			Cteſipho.
gn.	A-gnus.			Gnatus.
mn.	O-mnis,			Mnemoſyne.
phth.	Na-phtha,			Phthiſis.
ps.	Scri-pſi,			Pſittacus.
pt.	A-ptus,			Ptolemæus.
sb.	Le-sbia,	*quia dicitur*		σβίσιοι.
sc.	Pi-ſcis,			Scamnum.
sm.	Co-ſmus,			Smaragdus.
sp.	A-ſper,			Spero.
sq.	Te-ſqua,			Squalor.
st.	Pa-ſtor,			Sterto.
sl.	A-tlas,			Tleptolemus.
tm.	La-tmus,			Tmolus.
tn.	Æ-tna,			θνήσκω.

7. Sicut scribimus *Do-ctus*, sic *do-ctrina*, quamvis nulla vox incipiat ab his literis *ctr*. Sic *Te-gmen*, non *Teg-men*; quia *Te* est prior syllaba in *Tego*.

8. Hinc etiam excipe Composita; ut, *Juris-consultus*.

Tribus modis cognoscitur scribendi forma.

1. Primo, per Analogiam; i. e. considerando affinitatem quam voces habent inter se: sic scribimus *Gratia* cum *T*, non cum *C*; quia venit de *Gratus*. Et contra, *Audacia* cum *C*, non cum *T*; quia venit ab *Audax audacis*. Sic *Delicia*, non *Delitiæ*; quia ei affine est *Delicatus*.

2. Secundo; per Authoritatem; ut, *Causſa*, pro *Causa*; quia sæpe apud Authores reperitis.

3. Tertio, per usum; sic scribimus *Felix*, vel *Felix* cum vocali aut diphthongo; quia sic vult usus. Atque hic modus non multum differt à priore.

4. Innumeræ autem sunt voces, quæ vario modo scribuntur; ut, *Affero* vel *Adfero*, *Author*, *Auctor*, *Autor*. *Loquor*, *loquutus* vel *locutus*. *Sequor sequutus* vel *secutus*. *Nuntius*, vel *Nuncius*, &c.

De Interpunctionibus.

1. Punctum, seu Pausa est nota distinctionis, vel intervallum respirandi; cujus Nomina & Characteres sic describuntur.

Nomina.	Characteres.
Comma;	,
Semicolon;	;
Colon;	:
Punctum;	.
Punctum Interrogationis;	?
Punctum Admirationis;	!

2. Comma est brevis orationis pausa seu mora; qualis cernitur inter singulas voces hujusce Versus.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

3. Semicolon Commate paulo longiorem habet moram; ut in hac oratione; *Tu quid divinia possini, consideras; quid virtus, non item.*

4. Colon

4. Colon Semicolo moram nonnihil longiorem habet; *Utendum est ætate: cito pede labitur ætas.*

5. Punctum periodum claudit, seu perfectum facit sensum; ut in exemplis allatis videre est.

6. Punctum Interrogationis; ut, *Quomodo vales?*

7. Punctum Admirationis; ut, *O me perditum!*

8. Aliæ etiam sunt distinctionis notæ; qualis *Parenthesis*, duæ *sc.* curvæ lineolæ, ut in hoc Versu.

Munera (crede mihi) placant hominesque Deosque.

9. Verum plerique, neglectâ Parenthesi, orationem duobus Commatis includunt; e. g. *Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque.* Notandum voces aliter disposîtas Parenthesin non admittere; ut, si *Crede mihi* vel in principio, vel in fine orationis locares; absurdum enim esset; *(Crede mihi) munera placant hominesq; Deosque.*

11. Duo puncta in apice vocis diphthongum in duas vocales disjungunt, e. g. *Ulysſei* tres habet syllabas; at *Ulyſſei* quatuor. Huc refer, quum Consonans in Vocalem mutatur; ut, *Soluit* pro *solvit.*

12. Ablativus primæ declinationis præcipuè ambiguitatis gratia, sic notatur; *Pennâ*: sic Genitivus quartæ, *Fructûs*; item Genitivus pluralis cujusvis declinationis, ubi fit contractio; ut, *Deûm* pro *Deorum*; *Hæresîon*, quasi *Hæresioon.*

13. Adverbia qualitatis sic notari solent, *Justè*, *Maximè*; ut differant à Vocativo.

14. Vox composita lineolâ interdum sic notatur; *Res-publica.*

15. Postremo, siqua dictio in duabus lineis sit scribenda, duci lineola una aut altera; ut in hac voce *Hujus-modi*, ne duæ voces videantur.

De Accentu.

1. Accentus est nota ad dirigendum vocis tonum excogitata. Estque *Acutus*, *Gravis*, vel *Circumflexus.*

2. Acutus notatur lineolâ versus sinistram ductâ; sic (´)

3. Gravis versus dextram; sic (`)

4. Circumflexus ex utraque fit; sic (^)

De Officio Accentûs.

1. Acutus tollit, & elevat syllabam quam afficit; ut, *do* in *Dóminus*; *po* in *Corpóribus*.

2. Gravis deprimit; ut, *te* in *Dostè*; *xi* in *Máximus*.

3. Circumflexus prius attollit, dein deprimit; ideoque *Circumflexus* dicitur, quia vocem circumflectit primò tollendo, postea deprimendo; ut, *ma* in *Amâre*.

4. Multo autem propius accedit ad Acutum, quam Gravem; nec facile ab eo discernitur; ita, ut fere confundi possint.

Regula prima.

1. Monosyllaba attolluntur: ut, *Vir*, *Fax*, *Mens*, &c. Illa, quæ natura sunt longa, circumflectuntur; ut, *Laûs*, *Fraûs*, &c.

Regula secunda.

2. Dissyllaba acuuntur in penultimâ; ut, *Rárus*, *Pánis*, &c.

Regula tertia.

3. In polysyllabis si penultima sit longa, ea acuitur; ut, *Románus Senésco*, &c. Si autem penultima sit brevis, antepenultima acuitur; ut, *Corpóribus*, *Dóminus*, &c.

Exceptio.

4. Tres encliticæ particulæ ad se accentum retrahunt; hoc est, acuitur semper syllaba quæ præcedit eas; ut, *Hómines*, *Hominésque*; *Córpora*, *Corporáque*. *Nostine*, *Vidésne*, &c.

ADMONITIO.

PLurima sunt in omnibus Grammaticæ partibus, præsertim ea, quæ sub Annotationibus comprehendimus, silentio prætereunda; donec Discipuli eam Latinæ Linguæ notitiam habeant, quâ

quâ Præcepta una cum exemplis propriâ fere industriâ intelligant.

Necessaria in omnem Grammaticam Annotatio.

Omnia non possunt præceptis tradier: usus Scriptaque Doctorum supplebunt cætera; quæ vos Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

FINIS.

Privilegium.

AT Edinburgh, *the Second Day of* October, *One Thousand Six Hundred Seventy Four Years, anent a Petition presented by Mr.* James Kirkwood, *bearing, that with great pains he hath framed a new Grammar, which hath received full approbation, and given content to the most knowing Teachers thereof, and hath caused print the same. True it is that some persons have caused to re-print the said Grammar, with so many gross errors, that the same would seem to be done of purpose to put a publick Affront upon the Petitioner, and therefore humbly supplicating that the Petitioner may have the sole Privilege of causing print the said Grammar either in Latine, or any other Version, and all other persons discharged for such a competent time as the* Council *shall think fit.*

The LORDS *of His* MAJESTIES *Privy Council having heard and considered the foresaid Petition, do hereby give and grant to the Petitioner the sole and only privilege of causing print the said Grammar in Latine, or any other Version, for the space of Nineteen Years after the Date hereof; and discharges any persons whatsomever to print the same without his special warrant, during the said space, as they will be answerable at their highest peril.*

Extracted by me

A. GIBSON.

AN ADVERTISEMENT.

The Third Edition of Mr. *Kirkwood*'s Grammar and Rudiments, with the Examples of the first Part, Translated into *ENGLISH*, is now Printed at *London*; and to be Sold in *Edinburgh*, at a very easie Rate, by *Henry Leslie*, at the Sign of the *Blew Bible* over against **Black-Friars-Wynde.**

The TESTIMONIES also of divers Learned men are to be found in some few Copies. 1677.